Einladungsschrift

zu den

öffentlichen Schulprüfungen

im

Herzoglichen Francisceum

zu

Zerbst

am 12. und 13. März 1845.

1) Caroli Sintenis de hiatu in Plutarchi vitis parallelis [illegible]
S[redacted]

2) Jahresbericht des Directors.

Zerbst, 1845.
Gedruckt bei Friedrich Rö[illegible]

Caroli Sintenis

de

hiatu in Plutarchi vitis parallelis

epistola

ad

Hermannum Sauppium

professorem Turicensem.

Carolus Sintenis

S. D.

Hermanno Sauppio.

Vicesimus hic annus est, mi Sauppi, ex quo ego in academia Lipsiensi bonis artibus ac literis operam dare institui. Cuius temporis quoties reminiscor toties Godofredi Hermanni recolo memoriam subitque animum suavissimorum recordatio amicorum quibuscum tum communi viri incomparabilis admirationis et amoris vinculo coniunctus eram. Et Hermannum quidem sicuti in ceteris omnibus ita viridis ac vegetae senectutis usu discipulis suis etiamnunc exemplum quod sequantur praebere rarum et admirabile singulis fere annis mihi et videre et laetari concessum fuit. Sed eorum quibuscum per societatis graecae opportunitatem amicitiam et familiaritatem contraxeram multos ex illo tempore non vidi, nonnullos mortis corripuisse diram necessitatem magno cum dolore accepi. Quorum ego et Aemilium Pinzgerum lugeo et Gustavum Huebnerum praematura utrumque morte abreptum: sed quem magis lugeam quam Adolphum Emperium meum habeo neminem. Meum enim dicebam quippe cum quo per viginti fere annos intima familiaritate et usu nullo tempore intermisso coniunctus fuerim: quamquam suum eum dicent omnes quotquot eius familiaritate usi sunt. Neque enim quisquam eum cognoverat quin diligeret animam candidissimam, ut non dubitem quin gravissimo dolore perculsi sint ad quos mortis nuntius pervenit omnibus inexspectatus quodque ut sibi aliquando contingeret exoptasse dicitur Graecorum sapientissimus

μηδέ μοι ἄκλαυτος θάνατος μόλοι, ἀλλὰ φίλοισι
καλλείποιμι θανὼν ἄλγεα καὶ στοναχάς

id vero quin contigerit Emperio. Sed mihi quod praeter ceteros praecipuam quamdam luctus partem vindico nec cuiquam eum flebiliorem obiisse contendo facio propterea quod neminem scio quocum vel diutius vel familiarius consueverit, ut ne F. Bambergero quidem vel G. Schneidewino potiorem locum concedam. Doctrinae copiis vel ingenii acumine conspicui multi sunt: multo rarius invenias in quibus accedat animi candor, fides, simplicitas, veritas, pudor, castitas, quibus ubi modestiam addideris raram et, ut nunc sunt hominum mores, vix credibilem, fateberis coniunctas has virtutes in uno amicis subito erepti Emperii luctus ac desiderii causas praebere iustissimas, non ut doctum et acutum et ingeniosum in paucis virum desideremus, sed ut hominem, quo ego quidem fateor me non cognovisse meliorem.

Redeo ad vivos; quorum cum alios multos caros imprimis et amicos viros superiore anno Dresdae vidi cum laetissima antiquae familiaritatis recordatione tum te, carissime Sauppi, cuius magno et diuturno tenebar desiderio. Te enim tribus fere lustris ex quo Tu Turicum vocatus ex patria Tua abieras videndi nulla mihi contigerat opportunitas, laetabar vero quod scriptis doctissimis praeclare Te de litteris mereri videbam et cetera egregie cordatum meique non immemorem sciebam. Mihi interim in patria urbe minime cum vetusti splendore Turici comparabili litteras docendi obtigerat provincia, acciderant laeta commista tristibus et adversis, ut sunt res mortalium. Haec atque alia post primos complexus confabulabamur dicebamque Tibi eam esse rerum mearum rationem, ut nihil esset quod magno opere requirerem vel inviderem aliis locis magis conspicuis constitutis, nisi quod aegre ferrem et indignarer mediocritatem illam meam vel potius imbecillitatem, per quam mihi non licere conquerebar Tuas aemulari ceterorumque qui aderant amicorum laudes. Illud unum addebam erigere et confirmare animum meum quod tot ac tam praeclaros viros Dresdae tum congregatos benevolentia et amicitia sua me dignari viderem, quorum fuerunt qui vel de opera mea in Plutarcho posita satis honorifice sentirent. Ac de Plutarcho quidem ad finem perducendo etiam Tu quaerebas: ego vero respondebam illud poetae *φιλεῖ γὰρ ὀκνεῖν πρᾶγμ' ἀνὴρ πράσσων μέγα* addebamque nec otii abunde mihi concessum esse et plurimum consumtum temporis et operae in pertractanda illa quaestione quae esset de hiatu vel admisso a Plutarcho vel non admisso. Mirabaris Tu quod tantum tribuerem E. Benseleri familiaris quondam nostri de eo argumento disputationibus, quibus Tibi quidem de Demosthene dicebas persuasum non esse. De quo ut facile Tibi

me credere dicebam multo usu sic in eo versato ut pauci eorum qui nunc sunt Tecum contenderent iudicioque Tuo aliquanto plus tribuere quam Benseleri opinionibus saepe audacissimis, interdum levissimis; tamen me scire respondebam quid dicerem nec immemorem esse veteris illius *νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν.* Tantum enim abfuisse ut novum illud Benseleri inventum amplecterer recens prolatum ac probarem, ut quem ex societatis graecae exercitationibus meminissem diligentissime hiatum tersi et comti explorasse Isocratis riderem ad scriptorum genus maxime dispar idem transferre exilis diligentiae studium. Nimirum et locum noveram Chaeronensis mor. 350e ubi nimium Isocratis in ea re studium irridet his verbis: *πῶς οὖν οὐκ ἔμελλεν ἄνθρωπος ψόφον ὅπλων φοβεῖσθαι καὶ σύῤῥηγμα φάλαγγος ὁ φοβούμενος φωνῆεν φωνήεντι συγκροῦσαι καὶ συλλαβῇ τὸ ἰσόκωλον ἐνδεὲς ἐξενεγκεῖν;* et mirum atque adeo incredibile videbatur nullam eius rei suspicionem ante Benselerum vel aliis vel mihi esse obortam qui satis mihi in eo scriptore videbar versatus esse. Scilicet ea est vis consuetudinis, ut, cum mira in hac rerum natura omnia sint, nihil admiremur, nec quod sol nunquam hunc orbem terrarum lumine suo collustrare vel desinat vel intermittat, nec quod acris hiems quovis anno solvatur grata vice veris et Favoni hiemalique torpore excusso suscitata omnia laetissime efflorescant. Vides, mi Sauppi, me Tua verba mea fecisse quo declararem quo modo fieri potuerit ut mirum illud, quod audio quibusdam visum esse in oratione Plutarchea nec abs me ante Benselerum fuerit animadversum nec a quoquam eorum, qui ante nos Plutarchum ediderunt. Malui autem his uti vere et eleganter abs Te dictis quam pervulgatam repetere de ovo Columbi narratiunculam. Ceterum ego haec et tum Tibi fatebar libere et ingenue et nunc putavi repetenda esse, ne suspicareris me iusto minus fuisse suspiciosum. Nam, quod dicebam, tantum abest ut volens in Benseleri sententiam concesserim, ut me coegerit et tamquam abstraxerit invitum. Nec mihi soli id accidit, sed ex quo diligenti omnium locorum examine instituto Benselero in summa re assentiendum esse intellexi idem probavi Emperio, quocum de singulis locis quoties amicus dulcissimus me visum veniebat disserebam. Emperio autem scis non facile quemquam prudentiorem fuisse vel cautiorem.

Iam vero oblata mihi hac scribendi opportunitate sic utar, ut si possim Tibi quoque persuadeam Plutarchum in vitis quas dixit *παραλλήλους* magna cura et diligentia in vitando hiatu esse usum: nam de moralibus, quae dicuntur, nunc non quaero nec potest mea sententia quaerere nisi qui novis ac bonis instructus

praesidiis id aggrediatur. Facile autem intelligis eam rem sic esse comparatam, ut in critica factitanda magni atque adeo summi sit momenti, siquidem qui Bensclero mihique veritatem eius inventi concesserit idem locos omnes corruptos esse concedat necesse sit, quibus iusta hiatus excusatio parata non est, falsas emendationes omnes, quae hiatus in verba scriptoris inferant. Quoniam autem qui via et ratione eam quaestionem tractare velit non tantum locos in promptu habere debet omnes sed etiam qua singuli fide et auctoritate scripti sint exploratum habere, ego non putavi in iis quae Benselerus collegit mihi acquiescendum esse, sed totam rem denuo ab initio exorsus sum quoniam in utroque genere apud Benselerum haud pauca videbam desiderari. Id quod non eo animo dixi ut de Benseleri meritis quicquam vellem detractum, cuius summam agnosco diligentiam, quam paucissimi possint aemulari, sed quod qui unus de oratorum omnium, de Theopompi, Polybii, Plutarchi, Dionysii Halicarnassensis et aliorum scriptis sic agere instituerit, ut de singulorum locorum scriptura disputet, ei non possit non accidere, ut unus vel alter diligentiam eius effugiant vel saepenumero proferat quae probari nullo modo possint. Ac scio ego virum doctissimum coniecturas suas vel emendationes partim sane incredibiles minime pro veris omnes vendere fassusque ipse est in praefatione 'se nequaquam eas coniecturas, quas solius hiatus causa in hoc scriptore proposuerit, temere in textum quem vocent recipi velle, sed tantummodo id demonstraturum fuisse, potuisse hac vel illa ratione hiatum a scriptore vitari et quaerendum esse, an non revera etiam ab eo fuerit vitatus?' Scis, Sauppi, aliis aliud placere, nec dubito equidem quin futuri sint quibus non admodum probetur istud hariolandi periculum: sed quum protulerit Benselerus haud pauca bene excogitata, nonnulla etiam ab codicibus meis confirmata, ego quidem ei leves istas et incredibiles hariolationes tanto lubentius condono, quo minus fuit a praesidiis criticis munitus vel idoneo adiutus scriptoris usu. Ab utraque parte si me aliquanto melius dixero instructum ad hanc quaestionem accessisse, non vereor ne id aut Tibi aut aliis vel a mea parte arrogantius vel in Benselerum invidiosius videatur dictum esse. Quamquam ne frustrer exspectationem Tuam, etsi collecta habeo ad hanc quaestionem fere omnia, tantum tamen abest ut rem totam a me pertractatam ad Te mittere in animo sit, ut satis habeam speciminis ergo pauca quaedam ad id argumentum pertinentia Tecum communicasse, ut et sententiam Tuam de re tota explorem et singulos quosdam locos, quorum mihi nondum perspecta ratio est, felicissimo Tuo acumini commendem. Plenam rei pertractationem

quoniam non capiunt fines huic scriptioni constituti ubi primum licuerit tradam Friderico Ritschelio nostro museo Rhenano inserendam.

Quoniam autem hiatus non una species est aliaque aliorum scriptorum in eo evitando cautio fuerit recte a me requiris, ut qualis sit ille, quem a Plutarcho arcendum putem, significem. Ego igitur hiatum hic dico eum, qui fit vocalium concursu sic, ut vel utraque vel alterutra longa sit: quem hiatum ut credam Plutarchum duxisse sibi vitandum esse his equidem caussis adducor. Primum quod video locos si rem ad aliorum scriptorum consuetudinem revocaveris admodum paucos esse; deinde quod vel ex his satis multos codicum lectionibus in talem speciem animadverto conformari, ut hiatus relinquatur nullus; denique quod vel ex eo qui restat numero non minimam partem aperto aliquo vitio ipsa prodito sententia intellexi contaminatam esse. Huc accedunt alia argumenta specie quam re leviora. Videor enim mihi animadvertisse liberam illam et laxam verborum collocationem, quam reprehendunt quidam in hoc scriptore tamquam negligentia commissam, ex parte ortam esse ex diligenti hiatus evitandi studio. Vel quam aliam caussam dicemus esse quod, ut his utar, Artax. 16 scripsit *ὥςτε τὴν κεφαλὴν καὶ τὰς χεῖρας ἔξω καὶ τοὺς πόδας ἀπολαμβάνεσθαι* nisi ut non scriberet *ἔξω ἀπολαμβάνεσθαι*, vel Pomp. 48 *Βύβλῳ τε γὰρ εἰς ἀγορὰν τῷ ὑπάτῳ κατιόντι* ut non *τῷ ὑπάτῳ εἰς*, vel Phoc. 28 *εἰκάδι γὰρ ἡ φρουρὰ Βοηδρομιῶνος εἰςήχθη* ut non *ἡ φρουρὰ εἰςήχθη*, vel Caes. 68 *καί τις ὀφθέντος αὐτοῦ τῶν πολλῶν ἔφρασεν ἑτέρῳ* ut non *αὐτοῦ ἔφρασεν*, vel Cleom. 13 *τοῖς μὲν γὰρ ἄλλοις ἐντυγχάνοντες οἱ ἄνθρωποι βασιλεῦσιν οὐχ οὕτω κατεπλήττοντο* ut non *ἄνθρωποι οὕτω*, vel Demosth. 26 *ἐν δὲ πρώτοις αὐτοῦ τῆς βουλῆς ἐκείνου καταψηφισαμένης* ut non *αὐτοῦ ἐκείνου*: haec ego paucissima attuli quum possem plurima, quae cupienti non invidebo. Porro ex hac non alia caussa explicandum puto illud, quod Plutarchum saepenumero verbis usum video compositis ubi antiquis et bonis scriptoribus suffecissent simplicia: quod quoniam alia potiora agenda sunt interim velim vel sine exemplis mihi credas, mi Sauppi. Denique non praetereundam puto miram illam discrepantiam quae intercedit inter Plutarchea et non Plutarchea in Plutarcheis, hoc est ubi vel locos ex aliis scriptoribus vel dicta singula, quod scis eum facere saepissime, in rem suam convertit tot tamque graves immisti hiatus sunt, ut qui non obiter haec legat non possit non orationis genus plane dispar agnoscere. Quam quidem rem ego tanto magis diligenti observatione dignam puto quo plus habet non tantum ad alias quaestiones diiudicandas momenti verum etiam ad fidem facit

scriptoris aestimandam fontiumque usum cognoscendum. Sed id alius erit tractationis: nonnulla eius generis commemoravi infra, nunc addo ne hoc quidem praetermittendum esse quod sicubi alii scriptores, quod scis praeter ceteros Photium fecisse et Zonaram, locos Plutarcheos afferunt, ii id sic faciunt, ut quum de servando verborum ordine Plutarcheo minus sint solliciti quid sit hiatum fugere, quid non, luculenter appareat.

Supra dicebam de hiatu disputare me velle eo, qui fieret longarum concursu vocalium sic ut aut utraque vocalis aut alterutra esset longa: nam de brevibus etsi habeo quae dicam nunc non quaero. Eum quod dicebam ipsa locorum paucitate suspectum esse, certa quaedam genera excepta volo: nam nec articuli offendunt hiatus facientes nec praepositiones nec *καὶ* particula nec numeralia nec quae unam notionem efficiunt nec denique in quibus intercedente interpunctione pausa fit. Vides, Sauppi, me multo plus libertatis concedere Plutarcho quam a quo hoc totum exilis diligentiae studium repetendum est Isocrati, ut nec *ἡ ἀρετὴ* vel *αἱ ἀρεταὶ* nec *καὶ ἀρετὴ* nec *οἱ ἵπποι* vel *τῷ ἵππῳ* nec *ὀκτὼ ἵπποι* vel *ὀκτακισχίλιοι ἵπποι* vel *ἕκτῃ ἐπὶ δεκάτῃ* nec *Μάρκον Ἀτιλίου* vel *Κιθαιρωνίᾳ Ἥρᾳ* vel *Θεοῦ Ἀσυλαίου* vel *βορέᾳ ἀνέμῳ* vel *Εὐριπίδου Ἠλέκτρας* vel *Φοιβίδου υἱὸς* offendant, etsi haec quoque tam rara sunt, ut nonnullorum singula tantummodo exempla exstent. Porro interpunctione maxima iustam hiatus parari excusationem non est quod dicam, quum vel commatis haec vis sit ut quae ex eo exoritur pausa hiatui excusando sufficiat. Sed vel sic pauciores sunt loci quam exspectes, praesertim si cum aliorum scriptorum usu comparaveris, in quo consenties, spero, si numeros perscripsero singulorum ad certa quaedam genera revocatorum. Ac primum de sententiis adversativis dicam, quarum prima species haec est, ut membrum oppositum incipiat ab *ἀλλὰ* particula, cuius generis est Lycurg. 16, 10 *οὐδὲ ὕδατι τὰ βρέφη, ἀλλ' οἴνῳ* —, in quo apparet hiatum quam maxime suo loco esse. Neque tamen plus quam s e p t e m loci exstant in vitis omnibus quorum haec ratio sit, in uno, qui est Poplic. 2, 11 *μηδ' ὑφήσεσθαι Ταρκυνίῳ, ἀλλ'* — ex tribus codicibus nunc scripserim *Ταρκυνίοις* quum etiam 13, 16 libri hanc commendent scripturam: *τοῦτο Ταρκυνίοις* (vulgo *Ταρκυνίῳ*), *οὐ τοῖς Ταρκυνίους* (vulgo *Ταρκύνιον*) *ἐκβαλοῦσι*, ut relinquantur q u i n q u e. Altera species est oppositionis per *δὲ* particulam, velut Romul. 7, 3 *συγκόπτουσι μὲν αὐτοὺς καὶ τρέπονται, ἀποτέμνονται δὲ τῆς λείας συχνήν* vel Nic. 1, 29 *τούτῳ μὲν — λοιδορεῖσθαι, ἐμοὶ δὲ* —: huius quoque hiatus iustissima ratio est u n d e c i m locis

a me observati, nam quem locum quis addere posset duodecimum Pomp. 14, 2 *ὑπάτῳ γὰρ ἢ στρατηγῷ μόνῳ, ἄλλῳ δὲ οὐδενὶ δίδωσιν ὁ νόμος* — corrigendum puto scribendo *μόνον* ex libris duobus nuper ad me allatis. Non comprehendi autem illo numero Caes. 17, 47 — *Ὄππιον ἐκέλευσεν ἀναπαύσασθαι· αὐτὸς δὲ μετὰ τῶν ἄλλων ὑπὸ τῷ προστεγίῳ τῆς θύρας ἐκάθευδεν*, quamvis sic scripserim verba ex PCM pro vulg. *ἀναπαύσασθαι· μετὰ δὲ τῶν ἄλλων αὐτός.* Nam etsi meum ordinem ipsa ratio videtur postulare, tamen in codicum fluctuatione res non est extra controversiam posita, quum vulgatus ordo vix temere oriri potuerit, Plutarchi autem etiam alibi magna sit in collocatione verborum licentia. Tertia species negativarum est, cuius haec sola reperiuntur exempla, quae ipsa quoque corrigi possunt facillime: Pyrrh. 10, 20 *οὐκ ἐβούλετο τῷ Πύῤῥῳ προςπταῖσαι* (,) *οὐδὲ ἀπολιπεῖν.* Sull. 31, 29 *οὔτε ναὸς ἦν καθαρὸς θεοῦ* (,) *οὔτε ἑστία.* Nam Poplic. 13, 16 tetigi supra et Num. 9, 24 *μᾶλλον δ' ἱεροφάντου τάξιν ἔχει, οὐ μόνων* — recipienda Stephani scriptura nunc libris confirmata *τάξιν εἴληχεν.* Illa autem si recte habent sequitur interpunctione esse seiungenda in quam rem utor loco Anton. 43 *καθόλου μὲν γὰρ οὔτ' ἀλκαῖς οὔτ' ὑπομοναῖς οὔτ' ἡλικίᾳ λαμπρότερον ἄλλος αὐτοκράτωρ στρατὸν ἐκείνου δοκεῖ συναγαγεῖν*: nam quod *ἀλκαῖς οὔτε ὑπομοναῖς οὔτε* scripsit, scripsit, opinor quod *ἀλκῇ* (,) *οὔτε ὑπομονῇ* (,) *οὔτε* — improbaret. Solitaria haec exempla sunt: Crass. 2, 30 *ὄντων δ' αὐτῷ παμπόλλων ἀργυρείων, πολυτιμήτου δὲ χώρας καὶ τῶν ἐργαζομένων ἐν αὐτῇ, ὅμως ἄν τις ἡγήσαιτο* — Lucull. 37, 10 *ἔπεισαν τὸν δῆμον ἐπιτρέψαι θριαμβεῦσαι, οὐχ, ὥςπερ ἔνιοι, μήκει τε πομπῆς — ὀχλώδη θρίαμβον.*

Alterum genus relativorum est et pronominum et adverbiorum; pronominum dico talia quale est Rom. 29, 10 *ἡ δ' ἡμέρα, ᾗ μετήλλαξεν,* cuius septendecim exstant exempla, sed ut unum et alterum in librorum varietate suspectum sit; adverbiorum exempla quoniam nec multa sunt nec omnia generis eiusdem praestat singula attulisse. Sunt igitur nisi quod me fugit haec. Cim. 6, 36 *αἰνιττομένη, ὡς ἔοικε* — Lucull. 41, 15 *περὶ τούτου, ὡς εἰκὸς* —, in quibus ut in aperta pausa non offendo; sed suspectum habeo Fab. M. 8, 23 *Ἀννίβᾳ παρέξει — χρόνον αὖθις ἐκ Λιβύης ἑτέραν δύναμιν προςγενέσθαι* (,) *ὡς κρατοῦντι τῆς Ἰταλίας*, quum etiam in sententia sit quod displiceat. Recte vero habere videtur Camill. 10, 7 *κοινῷ γὰρ ἐχρῶντο τῷ διδασκάλῳ, ὥςπερ Ἕλληνες, οἱ Φαλέριοι*, miror tamen Plutarchum non scripsisse *καθάπερ*, nam quod unum comparari possit Arat. 45 *πολλὰ τὸν Ἄρατον ἐλύπει, ὥςπερ τὸ περὶ τῶν εἰκόνων* librorum consensus corrigi iubet *ἐλύπει*

τὸν Ἄρατον, et quod in eadem vita legitur c. 21 *κελεύσας ἕπεσθαι (,) ὡς ἂν δύνωνται τάχιστα* — recte liber corrigit in hanc speciem *ἕπεσθαι κελεύσας*. Nec potest fugere attentiorem vel eos hiatus, quibus intercedente interpunctione excusatio esset, scriptorem studuisse evitare. Hinc fateor mihi suspectum esse Thes. 26, 32 *καταλιπεῖν δὲ καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ (,) οἷον ἐπιστάτας*, quum praestare videatur talia nulla interpunctione dirimere et qui duo loci soli aliquo modo comparari possint Anton. 64 *τῷ προσώπῳ μόνῳ (,) οἷον ἐγκελευσάμενος τὸν ἄνδρα θαῤῥεῖν (,) παρῆλθε* et Cam. 42, 26 *παραχρῆμα, οἷον εἰκὸς, ἡδόμενοι* — corrigendi ex libris sint, in altero *μόνον*, in altero *παραχρῆμα μὲν* rectissime praebentibus. In Solon. 1, 27 *λέγεται — τὸ ἄγαλμα τοῦ Ἔρωτος ἐν Ἀκαδημίᾳ καθιερῶσαι (,) ὅπου τὸ πῦρ ἀνάπτουσιν οἱ τὴν ἱερὰν λαμπάδα διαθέοντες* etsi non tam requiro quam abesse malim omnem interpunctionem, tamen nulla alia ratio nunc succurrit. Nam etsi ad sententiam nihil desidero, suspicionem tamen movet quod in ceteris vitis omnibus, si recte observavi, nihil quod comparari possit reperitur. Ac si quis huc referre vellet Brut. 33 *Πομπηΐου Μάγνου προςβαλόντος Αἰγύπτῳ καὶ Πηλουσίῳ, ὁπηνίκα τὴν μεγάλην ἀρχὴν (μάχην?) ἀποβαλὼν ὑπὸ Καίσαρος ἔφυγεν* — esset hoc augere potius quam refellere suspicionem. Quaenam est enim ista tam inepta dicendi ratio *προςβαλεῖν Αἰγύπτῳ καὶ Πηλουσίῳ*? quam quod S. Voegelinus noster G. Hermanni observatione quadam ad Viger. p. 838 sibi videtur defendisse, minime mihi persuadet, nec Tibi, spero, Sauppi. Codex Palatinus *Πηλούσιον*, recte, modo *καὶ* mutetur in *κατὰ*, ut Pompeius dicatur *Αἰγύπτῳ προςβαλεῖν κατὰ Πηλούσιον*, cf. Pomp. 77, 6. Denique unicum est Oth. 2 *ἐδεήθη δ' ὑπομεῖναι, ἕως ἂν ἀποξύρηται*, quod quidem facillime corrigi possit.

Hiatuum in sequenti *ὅτι* particula exempla exstant haec: Alcib. 3, 1 *γέγραπται, ὅτι* — Nic. 4, 7 *γέγραπται, ὅτι* — Pyrrh. 18, 15 *ἀπεκρίναντο — πᾶσαι, ὅτι* — Luc. 29, 52 *θαυμάζεσθαι, ὅτι* — Poplic. 19, 11 *ἠνιάθη, ὅτι Πορσίνα κακίων φανεῖται*. Caes. 47, 10 *ἔφη, ὅτι* — ex libris correxi *εἶπεν*. His addo similiter usurpatam *ὡς* particulam, cuius unum tantummodo exemplum relinquitur, Artax. 12 *χαίρων φράζει, ὡς αὐτὸς ἴδοι τεθνηκότα Κῦρον*, nam Aristid. 22, 10 *φράσαντος δὲ τῷ Ἀριστείδῃ, ὡς διανοεῖται τὸν ναύσταθμον ἐμπρῆσαι τῶν Ἑλλήνων*, libri duo *τῷ Ἀριστείδῃ τοῦ Θεμιστοκλέους*, quod a Vulcobio annotatum olim repudiare debui, nunc librorum auctoritate firmatum probandum puto, quum nequaquam credibile sit temere sic quemquam interpolaturum fuisse. Itaque de

altero loco sic sentio, ut eum dubitationi minime exemtum putem, praesertim quum facillima correctio in promtu sit haec: φράζει χαίρων. De emendationibus per transpositionem verborum dicam infra. Tutior hiatus videri potest in ὥςτε particula, cuius tria exstant exempla haec: Aristid. 11, 52 οὕτω περιβόητον γενέσθαι, ὥςτε — hoc enim etsi ut in dubium vocetur sententia non magis cogit quam Sull. 38, 8 λέγεται δὲ τοσοῦτο πλῆθος ἀρωμάτων ἐπενεγκεῖν τὰς γυναῖκας αὐτῷ, ὥςτε — tamen si quis severior sit suspiceturque quum in tanta frequentia sententiarum similiter conformatarum paucissima haec exstent hiatuum exempla consentaneum rationi esse, ut qui scriptor ceteris locis similibus diligenter evitaverit, existimetur ne his quidem in locis hiatum admisisse, hoc igitur si quis suspicetur, facile utrumque exemplum fatebor ad severiorem rationem refingi posse sic, ut in altero scribatur γενέσθαι περιβόητον, ὥςτε, in altero loco deleatur αὐτῷ, quod plurimis locis a correctoribus additum esse demonstrare possum. Tertii autem loci, qui est Fab. Max. 9, 3 ἔφη τὰς θυσίας γενέσθαι, ὥςτε ἐπὶ τὸ στράτευμα βαδιεῖσθαι, tam insolens mihi ratio videtur, ut scire velim, quid Tibi' Sauppi, videatur. Item commendo Tibi Othon. 9 παρίσταντο ὁρμαὶ πολλαὶ (,) ὡς εἰς ταὐτὸ συνελθεῖν, quem unicum sui generis a Schaefero propter ὡς particulam in suspicionem adductum hic addam, ut ex Te audiam quid Tibi videatur. Nam sane interpungendi ante particulam nullam equidem video necessitatem.

Vel ex his intelligis, vir amicissime, totam hanc quaestionem cohaerere cum doctrina ea, quae de interpunctione verborum praecipit; quam si quis velit ad artis rationem revocare, dubito equidem num tales leges proferre possit, quae omne scriptorum graecorum genus aequabiliter complectantur: tam varias ac diversas constituendas esse pro diverso scribendi genere existimo. Certe si quid veri est in hac de hiatu doctrina, quod puto plurimum esse, in Plutarcho non potest probari ea ratio, quam a summis viris I. Bekkero, C. Lachmanno monstratam ego in mea editione sum sequutus, ut paucas ponerem et raras verborum interpunctiones. Ut ut est, hoc velim teneas, quos in superioribus attulerim et porro allaturus sim locos ex vitis omnibus esse collectos, ut ad scriptorum multitudinem et amplitudinem relati paucissimi sint, nec possis iis, quamvis de singulis quibusdam vel interpungendis vel non interpungendis dissentias, ad impugnandam novam doctrinam uti utpote vel sic paucis et in nondum satis exploratis interpungendi legibus dubiis. Quid quod ita mihi de caussa mea persuasum est, ut si quid horum interpunctione excusari non posse edoctus fuero malim pro vitioso habere quam relinquere hiatum.

Cuius quidem facile mihi concedis iustam esse excusationem in appositionibus iisque sententiis quae explicandi ergo rei primariae sic adiiciuntur, ut possint positae existimari intermediae. Ad prius genus refero Solon. 10, 11 *Φιλαῖος καὶ Εὐρυσάκης, Αἴαντος υἱοὶ, Ἀθήνησι πολιτείας μεταλαβόντες* —; ubi casu accidit ut Reiskius quamvis nihil de ea re suspicatus addendo *τῆς* post *υἱοὶ* adversarius existeret hiatui. Quem quidem etsi tolerabilem iudico, tamen fateor suspectum esse quod loci et pauci sunt et si hunc exceperis dubii plerique omnes. Nam ut nihil dicam de Brut. 2 *φίλον πεποιημένος Ἀρίστωνα, ἄνδρα τῇ μὲν ἐν λόγοις ἕξει πολλῶν φιλοσόφων λειπόμενον*, quem quamvis in brevi syllaba et libri et rei veritas removeri iubent corrigendo *Ἄριστον*, non certior res est in ceteris locis qui sunt quinque. Nam Tib. Gracch. 8, 32 *Σπόριόν τινα Ποστούμιον λέγουσιν αἴτιον γενέσθαι, ἡλικιώτην τοῦ Τιβερίου*, quicquid est meliorum librorum scribi iussit *αἴτιον γενέσθαι λέγουσιν*. Porro vide mihi Num. 3, 23 *ἦν δὲ πόλεως μὲν ὁ Νομᾶς ἐμφανοῦς* —, *υἱὸς δὲ Πομπωνίου, ἀνδρὸς εὐδοκίμου*: ferrem haec, sed reputanti mihi librorum fluctuationes nuper ad me allatorum, quorum unus *πομπίου*, alius *πομπὴν*, alius denique *πομπίν'* (sic) cogitantique a ceteris scriptoribus Livio 40, 29 Valerio M. 1, 1, 12 Aurelio Vict. 3. Numam filium dici Pomponis, *Πομπιλίου Πόμπωνος* a Dionysio Halicarnassensi 2, 59 vix videtur dubium esse, quin Plutarchus *υἱὸς δὲ Πόμπωνος, ἀνδρὸς εὐδοκίμου* scripserit. Tertius locus est Arat. 2 *τὸν Κλεινίαν ἀπέκτεινε* — — · *ἐζήτει δὲ καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ, Ἄρατον, ἀνελεῖν*: sic libri Parisini quattuor, legebatur *τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἀνελεῖν, Ἄρατον*, quod tolerabile non est; sed alterum quoque suspectum reddit librorum discrepantia, ut hic quoque incertae sedis vocabulum *αὐτοῦ* delendum esse suspicer. Quartus locus est Bruti c. 1 *τοῦτον, οἰκονόμου υἱὸν ὄντα Βρούτου, ἄρτι καὶ πρώην εἰς ἄρχοντα προελθεῖν*: prior hiatus ut in vocabulis quae unam notionem efficiunt non offendit, cf. Poplic. 19, 21 Ages. 34, 36 Brut. 25 Dion. 26 Arat. 2 Othon. 5, alterum suspectum reddit obscura ac multum addubitata sententiae ratio, removet facilis correctio *Βροῦτον*. Denique Alex. 20, 46 *ὡς δὲ εἶδε μὲν ὄλκια καὶ κρωσσοὺς καὶ πυέλους καὶ ἀλαβάστρους, πάντα χρυσοῦ, ἠσκημένα περιττῶς* habet sic scriptus aliquid insolens potestque facile ad iustam rationem revocari corrigendo *πάντα χρυσοῦ καὶ ἠσκημένα περιττῶς*, quod video etiam Benselerum p. 364 commendasse.

Nescio quam vere ego Tibi, mi Sauppi, haec disputasse videor: mihi quidem hoc singulare accidit, ut quum eo animo ad dicendum de hoc hiatus genere accessissem, ut legitimum esse concederem, dum singulos accuratius con-

sidero ipsi quodammodo nihil me magno opere moliente videantur concidisse. Bona igitur cum venia Tua ad alterum genus interiectarum accedo sententiarum, cuius generis novem annotavi exempla, sed nonnihil singula inter se diversa. Ac primum facile fero Aristid. 15, 24 *ὁ δ' οὐ καλῶς ἔχειν ἔφη ταῦτα Παυσανίαν ἀποκρύψασθαι· ἐκείνῳ γὰρ ἀνακεῖσθαι τὴν ἡγεμονίαν* et Nic. 11, 3 *γιγνομένης ὀστρακοφορίας, ἣν εἰώθει διὰ χρόνου τινὸς ὁ δῆμος ποιεῖσθαι, ἕνα τῶν ὑπόπτων — μεθεστώς* — et Cicer. 15, 10 *ἐπιστολὰς ἀποδίδωσιν ὁ θυρωρὸς, ὑπὸ δή τινος ἀνθρώπου κομισθείσας ἀγνώστου, ἄλλας ἄλλοις ἐπιγεγραμμένας* et Anton. 31 *Ὀκταβία γὰρ ἦν ἀδελφὴ, πρεσβυτέρα μὲν, οὐχ ὁμομητρία δὲ Καίσαρι, ἐγεγόνει γὰρ ἐξ Ἀγχαρίας* — quamvis facilis esset correctio *γεγόνει*: sed Cat. min. 22, 13 *φανερᾶς δὲ τῆς παρασκευῆς αὐτῶν γενομένης, ὡς ἐν τοῖς περὶ Κικέρωνος γέγραπται, ἐν βουλῇ γνώμην προθέντος* vitium prodi sententiae perversitate ad eum locum annotavi. Num. 19, 39 autem *ὁ γὰρ Ἰανὸς ἐν τοῖς παλαιοῖς πάνυ (,) εἴτε δαίμων εἴτε βασιλεὺς γενόμενος, πολιτικὸς* — aptius fuerit nullam ponere distinctionem licebitque recepta duorum librorum scriptura *πάνυ παλαιοῖς*. Nec probo veterem interpungendi rationem in quattuor qui restant locis, Sull. 28, 32 *οἱ ταξίαρχοι (,) προσιόντες τῷ Σύλλᾳ (,) ἐδέοντο τὴν μάχην ἀναβαλέσθαι.* Cleom. 15, 13 *ἔτυχε τὸν Κλεομένη (,) συντόνως ὁδεύσαντα καὶ χρησάμενον παρὰ καιρὸν ὑδροποσίᾳ (,) αἵματος πλῆθος ἀνενεγκεῖν.* Philop. 21, 19 *οἱ δὲ στρατιῶται (,) ὡπλισμένοι μὲν αὐτοὶ, τοῖς δ' ἵπποις κεκοσμημένοις (,) ἐπηκολούθουν.* Num. 12, 19 *οἱ μὲν γὰρ Φιτιάλιοι (,) εἰρήνης φύλακές τινες ὄντες, ὡς δ' ἐμοὶ δοκεῖ, καὶ τοὔνομα λαβόντες ἀπὸ τῆς πράξεως, λόγῳ τὰ νείκη κατέπαυον*: quos sic distinctos tantum abest ut admittere hiatum credam Benselero, ut vitiosos omnes putem. Et illis quidem transpositione quadam facilem adhibeo medicinam sic: *τῷ Σύλλᾳ προσιόντες* et *ὑδροποσίᾳ παρὰ καιρὸν*, qui posterior ordo paullo rectior est servatusque etiam c. 30, 14 *πλῆθος αἵματος ἀνήγαγε*: in tertio nisi aliud quoddam vitium latet velut *καθωπλισμένοι* vel *ἱππεῖς* pro *στρατιῶται*, item facillimum fuerit corrigere *οἱ στρατιῶται δ' ὡπλισμένοι.* In Numa denique cur corrigendum sit *Φιτιαλεῖς* dicam infra. Ceterum quid in hoc quoque genere intersit inter Plutarchea et non Plutarchea ut cognoscas velim compares haec Anton. 43 *οἱ δὲ φαιδροὶ τῆς δεξιᾶς αὐτοῦ λαμβανόμενοι παρεκάλουν ἀπιόντα θεραπεύειν αὐτόν* cum Pseudo-Appianeis his apud Schweighaeuserum p. 88: *οἱ δὲ φαιδροὶ τῆς δεξιᾶς αὐτοῦ λαμβανόμενοι ἐδέοντο καὶ παρεκάλουν* —, qui locus ostendit quam caute versandum sit in iudicandis lectionibus istorum Pseudo-Appianeorum ubi discrepant a Plutarcheis.

Difficilius est de hiatu in structura participiorum absoluta decernere. Nam quum in nonnullis locis meliorum librorum scriptura hiatus removeatur non sine vitii suspicione inhaerere videtur ceteris. Sic Pomp. 11, 16 edebatur *τοῦ δὲ πράγματος γενομένου φανεροῦ, ἔδοξε τοῖς ἄλλοις πᾶσι*: sed ex libris duobus reposui scripturam etiam Stephano cognitam *δόξα τοῖς ἄλλοις παρέστη πᾶσι*: in Arat. 38 *οὗτοι γὰρ ἐπιέζοντο μάλιστα συνεχῶς τῷ πολέμῳ, ἄγοντος αὐτοὺς καὶ φέροντος τοῦ Κλεομένους* — sed optimus liber Saugermanensis *οὗτοι γὰρ ἐπιέζοντο τῷ πολέμῳ μάλιστα συνεχῶς ἄγοντος*. Demetr. 32, 16 legebatur *γενομένης δὲ φιλίας πρὸς Πτολεμαῖον αὐτῷ διὰ Σελεύκου, ὡμολογήθη* — sed libri optimi consensu *πρὸς Πτολεμαῖον διὰ Σελεύκου φιλίας αὐτῷ, ὡμολογήθη*, quae fluctuatio vitii suspicionem movet. In aliis non deest commoda emendandi ratio: nam Luc. 8, 20 *Ἀρχελάου διαβεβαιουμένου, ὀφθέντα Λούκουλλον ἐν Πόντῳ πάντων ὁμοῦ κρατήσειν* — cum magno, ni fallor, sententiae lucro mecum corriges *διαβεβαιουμένου μόνον ὀφθέντα* —. Sed quoniam sunt quibus non tam facilis medicina in promptu sit nolo in singulis emendandis periclitari priusquam Tu mihi significaveris, mi Sauppi, quid Tibi de hoc genere videatur. Itaque satis habeo reliquos locos indicasse; sunt autem hi: Marcell. 10, 21 *ἀσπασαμένου ποτὲ τοῦ Βανδίου* (,) *αὐτὸν ἠρώτησε*. Nic. 19, 2 *ἐν τούτῳ δὲ καιροῦ παρόντος τοῦ κινδύνου* (,) *ἀφικνεῖται Γογγύλος*. Crass. 12, 2 *τοῦ Πομπηΐου αὐτόθεν ἐπὶ τὴν ὑπατείαν καλουμένου* (,) *ἐλπίδας ἔχων ὁ Κράσσος συνάρξειν*, qui locus etiam alio eoque gravissimo ac prorsus intolerabili hiatu corruptus est. Anton. 66 *ἀρχομένου δὲ τοῦ ἀγῶνος ἐν χερσὶν εἶναι, ἐμβολαὶ μὲν οὐκ ἦσαν* — Arat. 30 *στρατηγὸς ᾑρέθη* (,) *ἀντιπράττοντος Ἀράτου*. Postremo commemoro Anton. 25 *ἀπτόμενος τοῦ Παρθικοῦ πολέμου* (,) *ἔπεμψε*, cuius non magis puto iustam in interpunctione et pausa, si diis placet, excusationem esse quam Pericl. 6, 26 *οἱ δὲ τῆς αἰτίας τὴν εὕρεσιν ἀναίρεσιν εἶναι λέγοντες τοῦ σημείου* (,) *οὐκ ἐπινοοῦσιν*. Nam ista subiecti a verbo suo separatio non minus videtur rectae rationi adversari quam disiunctio obiecti, cuius generis in Plutarcheis locos animadverti duos, Agesil. 28, 5 *ἠρώτησεν, εἰ νομίζοι δίκαιον εἶναι καὶ ἴσον αὐτονομεῖσθαι τὴν Βοιωτίαν. Ἀντερωτήσαντος δὲ τοῦ Ἐπαμινώνδου ταχὺ καὶ τεθαῤῥηκότως, εἰ κἀκεῖνος οἴεται δίκαιον εἶναι* (,) *αὐτονομεῖσθαι τὴν Λακωνικήν*, in sententia nihil est quod offendat, sed quod libri duo alterum istud *εἶναι* omittunt nonne sic dicemus comparatum esse, ut egregie nostram doctrinam commendet? alter locus est Demosth. 1, 7 *οὐδὲν διαφέρειν ἡγοῦμαι* (,) *ἀδόξου καὶ ταπεινῆς πατρίδος ἢ μητρὸς ἀμόρφου καὶ μικρᾶς γενέσθαι*, quem ego ali-

quando sic scriptum in libris spero repertum iri: ἡγοῦμαι πατρίδος ἀδόξου καὶ ταπεινῆς, quem ordinem unice commendat recta oppositionis ratio.

Restat duplex locorum genus quibus hiatus videatur concedendus esse; alterum in enumeratione singularum rerum positum est, cuius duo habeo exempla, Pomp. 45, 8 τὰ περὶ Φοινίκην καὶ Παλαιστίνην, Ἰουδαία, Ἀραβία — T. Gracch. 3, 4 ἀνδραγαθία δὲ πρὸς τοὺς πολεμίους καὶ πρὸς τοὺς ὑπηκόους δικαιοσύνη καὶ πρὸς τὰς ἀρχὰς ἐπιμέλεια καὶ πρὸς τὰς ἡδονὰς ἐγκράτεια, ἀπαράλλακτος, de quo dicenti Benselero p. 377 assentior; alterum in manifesta pausa, quae inter protasin et apodosin intercedit. Quamquam si reputo quam frequens sit apud Plutarchum hoc structurae genus, quo ab ἐπεὶ exordiente sententia vel in structura participiorum post longiorem verborum ambitum sequitur apodosis et ad istam locorum frequentiam paucitatem comparo hiatuum, in eam adducor opinionem, ut in hoc quoque genere evitando aliquam a scriptore diligentiam positam esse existimem. Nam mirum profecto in vitis omnibus non plus quam septem locos reperiri quorum in vulgata scriptura haec ratio sit, augetque suspicionem quod ex his ipsis alii ex libris corrigendi, alii propter aliquam caussam dubii habendi sunt. Nam Alcib. 16, 24 οἷον ἦν καὶ τὸ Ἀγάθαρχον τὸν ζωγράφον εἷρξαι, εἶτα γράψαντα τὴν οἰκίαν ἀφεῖναι librorum consensus scribi iubebat εἷρξαι τὸν ζωγράφον, εἶτα. Marcell. 14, 40 ἐπεὶ δὲ Πλάτων ἠγανάκτησε καὶ διετείνατο πρὸς αὐτοὺς ὡς ἀπολλύντας καὶ διαφθείροντας τὸ γεωμετρίας ἀγαθὸν ἀπὸ τῶν ἀσωμάτων καὶ νοητῶν ἀποδιδρασκούσης ἐπὶ τὰ αἰσθητὰ καὶ προςχρωμένης αὖθις αὖ σώματι πολλῆς καὶ φορτικῆς βαναυσουργίας δεομένῳ, οὕτω διεκρίθη γεωμετρίας ἐκπεσοῦσα μηχανική, sic editum ex correctione Stephani: libri partim δεομένης, quod est etiam in iuntina aldinaque, partim δεομένοις. Hoc verum est modo mecum corrigatur σώμασι. Anton. 83 ἡ μέντοι χάρις ἐκείνη καὶ τὸ τῆς ὥρας ἰταμὸν οὐ κατέσβεστο παντάπασιν, ἀλλὰ καίπερ οὕτω διακειμένη, ἔνδοθέν ποθεν ἐξέλαμπε — iure in hac structura, quae nulla est, offendentes Solanus et Reiskius corrigendo διακειμένης restituerunt id quod Plutarchum scripsisse certum est. Porro Phoc. 5, 16 ὡς γὰρ ἡ τοῦ νομίσματος ἀξία πλείστην ἐν ὄγκῳ βραχυτάτῳ δύναμιν ἔχει, οὕτω λόγου δεινότης ἐδόκει πολλὰ σημαίνειν ἀπ' ὀλίγων: ἔχει post πλείστην collocant libri quinque, ἔχειν corrigebat anonymus qui dicitur. Ego etsi retinui vulgatam scripturam quoniam in ἔχει, οὕτω multo minorem esse offensionem videbam quam in ἔχει ἐν, nunc tantum illis libris tribuendum puto, ut πλείστην ἔχειν ἐν ὄγκῳ βρ. scribendum existimem, suppleto δοκεῖ ex sequenti ἐδόκει, quod ipsum cur non

debeat in *δοκεῖ* corrigi in editione mea significavi. Restant tres loci, quorum Camill. 35, 24 *ἐπεὶ δὲ ᾔσθοντο τοὺς πολεμίους κρατοῦντας ἤδη, οὕτω διέκειντο μοχθηρῶς ὑπὸ πλησμονῆς* — facillime potest cum ceteris conciliari transpositione hac *ἤδη κρατοῦντας, οὕτω* —: item Timol. 36, 17 *καθάπερ — τοῖς Ὁμήρου στίχοις μετὰ τῆς ἄλλης δυνάμεως καὶ χάριτος πρόσεστι τὸ δοκεῖν εὐχερῶς καὶ ῥᾳδίως ἀπειργάσθαι, οὕτως παρά* — corrigendo *ἀπειργάσθαι καὶ ῥᾳδίως*. Sed Alcib. 19, 18 *ἀκούοντες ἀναφανδὸν λεγόντων, ὡς δι' Ἀλκιβιάδην στρατεύοιντο διαπόντιον καὶ μακρὰν στρατείαν, ἐὰν δέ τις ἀγνωμονῇ περὶ τοῦτον, εὐθὺς ἀποστήσεσθαι, ἀνεθάῤῥουν*, fateor facilem ac probabilem emendationem me non habere, ut doceri velim abs Te, Sauppi, aliisque idoneis harum rerum iudicibus quam rationem Plutarchum in his sequutum esse verosimile sit. Hoc igitur ex Te quaero aliisque si qui sint qui in rem haud sane levem aut iniucundam inquirere velint, quod in amplissimo vitarum opere paucissimis quibusdam locis deprehenditur utrum credibilius sit ab ipso Plutarcho esse profectum an peccatum a librariis, quos complura ex hoc genere corrupisse demonstravimus.

Atque haec quidem de hiatu propter interpunctionem vel ferendo vel non ferendo dicenda videbantur. Sequitur ut exemplis confirmem quod supra dixi, quid interesset in hoc genere inter orationem Plutarcheam et non Plutarcheam vel maxime apparere ex iis quae ab aliis auctoribus accepta ipsius orationi inserta legerentur. Cuius generis est lex illa Solonis in vita eius 19, 17 his verbis perscripta: *ἀτίμων ὅσοι ἄτιμοι ἦσαν πρὶν ἢ Σόλωνα ἄρξαι ἐπιτίμους εἶναι πλὴν ὅσοι ἐξ Ἀρείου πάγου ἢ ὅσοι ἐκ τῶν Ἐφετῶν ἢ ἐκ πρυτανείου καταδικασθέντες ὑπὸ τῶν βασιλέων ἐπὶ φόνῳ ἢ σφαγαῖσιν ἢ ἐπὶ τυραννίδι ἔφυγον ὅτε θεσμὸς ἐφάνη ὅδε*: quid ais, Sauppi, num casu id sic factum esse putabimus ac temere quod in his paucis legislatoris verbis plures ac graviores continentur hiatus quam in coniunctis adhuc leguntur Solonis ac Poplicolae vitis, plerique illi vel ex libris vel coniecturae ope emendandi? Eadem ratio *εἰςαγγελλίας* est in Alcib. 22, 15 et epistolarum quarumdam velut Bruti in eius vita c. 2 Alexandri in vita 22, 14 aliorum: neque enim opus est pluribus in re aperta. Hoc addo, eadem fide Plutarchum hiatus retinuisse in verbis scriptorum quibus auctoribus utitur. Ita, ut his utar, Pericl. 9, 3 *Θουκυδίδης — τὴν τοῦ Περικλέους ὑπογράφει πολιτείαν — ἔργῳ δ' ὑπὸ τοῦ πρώτου ἀνδρὸς ἀρχὴν* — hiatum servavit Thucydideum: *ἐγίγνετό τε λόγῳ μὲν δημοκρατία, ἔργῳ δὲ ὑπὸ τοῦ πρώτου ἀνδρὸς ἀρχή*, libr. 2, 65. Marcell. 21, 12 *πολέμου ἐργαστήριον* Xenophonteum ex hellen. 3, 4, 17. Dion. 52 *ἡ αὐθάδεια*

ἐρημίᾳ σύνοικος Platonicum. Rom. 28, 46 λείπεται αἰῶνος Pindaricum ibidemque ψυχὴ ξηρὴ ἀρίστη non Plutarchi, sed Heracliti esse ex Stobaeo Clementeque Alexandrino compertum habemus.

Poteram his plura addere, sed cum alia restant pertractanda tum paucis verbis dicendum de apophthegmatis seu dicteriis, quibus tamquam luminibus quibusdam Plutarchi verba constat distincta esse. In his igitur hiatus omnes vel gravissimos ferendos esse dicimus facitque magna eorum multitudo, nisi ego fallor, vel maxime nostrae sententiae fidem, quoniam, quod dicebam, luculenter inde apparet quid sit non sollicitum esse de hiatu, quid eum reformidare ac refugere. Ceterum non est quod dicam coniunctissimum esse hoc argumentum cum quaestione de fide Plutarchi in usu auctorum suorum recte aestimanda, quam quidem tanto difficiliorem esse fatendum est, quod, ut hoc unum commemorem, etiam de eo quaerendum est, quid de apophthegmatis Romanorum sit statuendum, utrum graeca facta sint a Plutarcho vel omnia vel certe nonnulla, an ex graecis de rebus romanis auctoribus petita. Sed de ea re nunc non agimus, fortasse alio tempore viderimus: quod autem de hiatu in apophthegmatis sine offensione posito dicebam, etsi hanc legem mihi scripseram ut nihil affirmarem quin argumentis demonstrarem, tamen quoniam sic comparatum est, ut singulae fere paginae comprobent, non requiris, Sauppi, ut praeter necessitatem in locis cumulandis laborem. Illud potius agam, ut, quod supra dicebam ipsam locorum Plutarchi paucitatem non posse non suspectum reddere hiatum, iam demonstrem. Intelligis autem me eos hic dicere hiatus, quibus ex iis quae supra disputavi iustam et idoneam rationem non esse appareat. Ac quoniam qui de rebus quibusdam publicis scribunt tum optime rem suam demonstrasse existimantur, quum inexpugnabili numerorum argumento confirmaverint, ego meo mihi iure videor postulare posse, ut eius probationis generis in hac caussa quamvis dissimillima eadem existimetur fides esse et auctoritas. Itaque ubi in tot vitis quot complectitur volumen unum editionis Weigelianae vix et ne vix quidem tot exstare hiatus dixero quot tres vel quattuor paginae continent cuiuslibet editionis Thucydidis, Platonis, Xenophontis, aliorum, videor mihi dixisse quod vel solum sic sit comparatum ut admodum mirum ac singulare videri debeat. Habentur igitur, ut in hoc uno exemplo consistam quoniam eadem ratio reliquarum omnium est, in sex vitis quas primum volumen illius editionis complectitur hiatus quos ego in vulgata scriptura vitiosos iudico quadraginta sex, etsi de nonnullis dubitari potest; horum unus et viginti codicum meorum ope sic corriguntur, ut

de veritate emendationum dubium esse non possit. Iam quum qui adhuc cogniti sunt codices Plutarchi nec valde antiqui sint praeter Sangermanensem nec bonitate insignes, qualem habituri essemus textum, quem vocant, si libri vel antiquiores vel meliores aut inventi essent aut comparati? nam quo quis melior est meorum librorum tanto puriora ab hiatu habet Plutarchi verba.

Iam vero etsi non vereor, ne Tu, Sauppi, vel eos hiatus quibus nihil e libris auxilii afferri potest, sufficere existimes ad caussam meam infringendam, hoc velim teneas, esse plerosque sic comparatos ut de corruptela propter aliquam aliam caussam dubitari nequeat. In quo demonstrando sic versabor, ut reliquis nunc quidem praetermissis unius vitae hiatus pertractem omnes. In Numa igitur 1, 27 leguntur haec: *ἃ δὲ παρειλήφαμεν ἄξια λόγου ἡμεῖς περὶ Νομᾶ διέξιμεν ἀρχὴν οἰκείαν λαβόντες*: ου et η concursum efficiunt intolerabilem qualis nusquam alibi apud Plutarchum reperitur, nam Lysandr. 15, 15 *Εὐριπίδου Ἠλέκτρας* et comp. Sull. 2, 9 *ἐξ ἵππου ἡμιόνος* aliam utrumque rationem habet. Accedit quod ne sententia quidem isti pronominis collocationi admodum favet, denique, quod gravissimum est, codex unus collocat *ἡμεῖς ἄξια λόγου παρ.*, alius *ἡμεῖς* omittit: alterum utrum probandum. Ceterum ne forte suspiceris has aliasque similes correctiones esse librariorum qui ipsi quoque in hiatu offenderint, noli credere eos quicquam huius rei esse suspicatos, quod nisi alia nunc agenda essent facile possem demonstrare. Pergo ad alterum locum qui est 2, 40: *ἔταξαν οἱ πατρίκιοι, πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν ὄντων αὐτῶν, ἐν μέρει ἕκαστον τοῖς βασιλικοῖς παρασήμοις κοσμούμενον θύειν τε τοῖς θεοῖς τὰ νενομισμένα καὶ χρηματίζειν ἓξ μὲν ὥρας τῆς νυκτός, ἓξ δὲ τῆς ἡμέρας*, quae verba et aliis qui de rebus romanis scripserunt a G. Xylandro ad B. G. Niebuhrium suspectissima fuerunt et mihi plurimum negotii exhibuisse confiteor. Nam quod dicunt, senatores, qui centum quinquaginta fuerint, deinceps omnes interreges esse factos, sed singulorum imperium non amplius duodecim horarum fuisse ita divisarum, ut sex horae ad noctem, sex ad diem pertinerent, nec per se credibile est et iis quae alii scriptores tradiderunt contrarium. Quorum Dionysius 2, 57 *ἐκεῖνοι δ' οὐχ ἅμα πάντες ἐβασίλευον, ἀλλ' ἐκ διαδοχῆς ἡμέρας πέντε ἕκαστος, ἐν αἷς τάς τε ῥάβδους εἶχε* etc. Livius 1, 17 'quinque dierum spatio finiebatur imperium ac per omnes in orbem ibat.' Haec mihi consideranti antequam Benseleri librum inspicerem facili coniectura videbar quinque dierum imperium restituere scribendo *πέντε ἡμέρας ἕκαστον*: nempe *ἐν μέρει* ortum opinabar ex *ε' ἡμέρας*, postea cognovi simillimum

Benseleri conatum hunc: ἐν μέρει πένθ᾽ ἡμέρας. Sed ut nihil dicam de mira interregnorum partitione media nocte et meridie initorum, etiam senatorum numerus, quos hic quidem centum quinquaginta, Rom. 20 autem Livium sequutus centum fuisse scribit, non potest cum ceteris scriptoribus conciliari. Abiecto igitur illo commento dum aliam rationem circumspicio duo acciderunt peropportuna: alterum quod novis quibusdam praesidiis criticis ad me allatis cognovi in codice Parisino scriptum esse ἕκαστον ἐν μέρει τοῖς, ut omnis de hiatu cura exemta esset, alterum quod F. Bamberger meus docta de interregibus Romanis scriptione Brunsvigae anno superiore edita luculenter demonstravit sententiam Plutarchi falsam, verba vera et incorrupta esse; ei igitur assentior, sed ut eo scribantur ordine, quo habet liber ille. Sequitur tertius locus 3, 23 υἱὸς δὲ Πομπωνίου, ἀνδρὸς εὐδοκίμου, quem cur sic putem emendandum esse ut scribatur Πόμπωνος supra exposui; non minus certa emendatio parata est quarti loci 3, 43 ἅμα δὲ καὶ τῆς Τατίας ἑλομένης τὴν τοῦ ἀνδρὸς ἰδιώτου ὄντος ἡσυχίαν πρὸ τῆς ἐν Ῥώμῃ διὰ τὸν πατέρα τιμῆς: recte enim intellexit Benselerus corrigendum esse ἰδιωτεύοντος. Ac vellem ego eadem emendandi facilitate usus esset etiam Camill. 2, 10 τιμητὴς ἀπεδείχθη —. Μνημονεύεται δὲ τιμητοῦ αὐτοῦ ὄντος καλὸν μὲν ἔργον: sic olim edidi ex codice nihil etiamtum de hiatu suspicatus: nunc horrore duplicis vitii a me admissi ita percellor, ut manes Plutarchi mihi succensuros esse verear nisi labem hac opportunitate exemerim. Legebatur αὐτοῦ τιμητοῦ ὄντος, quod corrigendum αὐτοῦ τιμητεύοντος, non deleto ὄντος cum Benselero, quem praetervidisse simillimum vitium Caes. 29, 14 tanto magis miror quod dixit de hiatu qui ibidem proxime praecedit; verba sunt haec: Καίσαρος — Κουρίωνα μὲν δημαρχοῦντα πολλῶν ἐλευθερώσαντος δανείων, Παύλῳ δὲ ὑπάτῳ ὄντι χίλια καὶ πεντακόσια τάλαντα δόντος —: quid potest esse apertius quam corrigendum esse ὑπατεύοντι? Sed ad Numam redeo, cuius 5, 8 quod scriptum est γεγονέναι· ἦν δ᾽ οὐ et 15, 23 ἐοικότα. Ὡς γὰρ recte se habere ex superiore disputatione intelligitur; item non destituta est idonea ratione 9, 24 vulgata scriptura haec: προφήτου, μᾶλλον δὲ ἱεροφάντου, τάξιν ἔχει, οὐ μόνων τῶν δημοσίᾳ δρωμένων ἐπιμελούμενος —, sed vel sic removendum hiatum esse supra diximus, quum τάξιν εἴληχεν scriptura ab H. Stephano memorata et in uno meorum codicum reperta tam elegans et exquisita sit ut sperni posse non videatur. Sequitur locus 10, 27 παρὰ τὴν Κολλατίνην λεγομένην πύλην, ἐν ᾗ ἐστί τις ὀφρὺς a Benselero neglectus, ex libris duobus iam sic scribendus: ἐν ᾗ τίς ἐστιν. mox v. 33 quod legitur γάλα, ἔλαιον apparet

non magis offendere quam 11, 4 *τοῦ σύμπαντος κόσμου, οὗ μέσον* — de quo genere supra dixi. Sed eamdem veniam equidem non dederim proximo hiatui 12, 19 *οἱ μὲν γὰρ Φιτιάλιοι εἰρήνης φύλακές τινες ὄντες, ὡς δ' ἐμοὶ δοκεῖ καὶ τοὔνομα λαβόντες ἀπὸ τῆς πράξεως, λόγῳ τὰ νείκη κατέπαυον*, neglecto illi a Benselero, credo quod post *Φιτιάλιοι* commate distinxit. Dixi in superioribus me hanc rationem non probare quippe quae seiungeret quae suapte natura cohaerere viderentur. Hic quidem vulgatam scripturam non hiatus solus mihi suspectam reddit. Nam video quidem proxime praecessisse *τῆς τε Σαλίων καὶ τῆς τῶν Φιτιαλίων*, idem tamen video non modo v. 25 et 45 *Φιτιαλεῖς*, sed etiam Cam. 28 bis dictos esse *Φιτιαλεῖς* quos etiam Dionysius Halicarnassensis a. r. 6 p. 1245 quamvis alio accentu dixit *Φιτιάλεις*. Itaque sic sentio *Φιτιαλίων*, quae forma etiam mor. 279[a] corrigenda est, ex praecedentis *Σαλίων* terminatione corrupte scriptum esse pro *Φιτιαλέων*, quo corrupto consentaneum erat etiam in proxime sequentibus genuinam formam corrumpi, quam *Φιτιαλεῖς* fuisse credo. Mox quae sequuntur *λέγεται δὲ καὶ τὸ Κελτικὸν ἐκεῖνο πάθος τῇ πόλει γενέσθαι τούτων τῶν ἱερῶν παρανομηθέντων* videor mihi vitio liberare corrigendo *ἱερέων*. Sed hoc leve est, dignius animadversione illud est quod statim v. 39 optimorum codicum consensus hiatum removet quem ego utpote in pronuntiando elisum Plutarchum non refugisse crediderim. Nimirum vulgo sic scriptum legebatur *ἐνεανιεύσατο ὑπὲρ τῶν Κλουσίνων*, sententia recta, hiatu in pronuntiando nullo, tamen non poteram dubitare quin sequenda esset optimorum librorum auctoritas *ἐνεανιεύσατο πρὸ* exhibentium. Quod vero dicebam istum hiatum a Plutarcho evitatum non fuisse dicebam propter hos locos: *ἐβούλετο ἄν* Timol. 6, 17 *δέξαιντο ἄν* Aristid. 10, 29 ubi codex *δέξαιντ' ἄν* · *ᾤχετο ἀπιὼν* Pelop. 29, 28 Philop. 15, 30 Caes. 45, 23 Pomp. 46, 35 Anton. 83 (*ᾤχετ' ἀπιὼν* comp. Solon. 3, 19 Demosth. 24, 15) *ἠγαπᾶτο* (,) *ἄθραυστον* Philop. 6, 41 *ἑδρᾶτο* (,) *ἀμφοτέρων* Pyrrh. 5, 15 *διεπέπρακτο ἄνευ* comp. Pomp. 4, 8 *γένοιτο ἄνθρωπος* Alex. 55, 10 *ἐφαίνετο αὐτοῦ* Aristid. 3, 16 *ἐχρήσατο αὐτῷ* Lys. 24, 6 *μετεπέμψατο αὐτὸν* Luc. 22, 6 *ἐχρήσαντο* (,) *ἐν οἷς* Nic. 27, 27 *ἐφαίνετο ἔμφρων* Cleom. 32, 5 *ἐπορεύετο εἰς* Lys. 6, 23 *ἐφείπετο ἡ βουλή* Arat. 53 *ὑπηγάγοντο ἵνα* Caes. 46, 4 *ἠναγκάζετο ὁρᾶν* Sertor. 18, 35 *οὐκ ἠνέσχετο ὁ Σερτώριος* Sertor. 23, 22 *παρίσταντο ὁρμαὶ* Othon. 9 *ἐχρῆτο οὗτος* Phoc. 8, 12 *κατεφρονεῖτο, οὐδέπω* Philop. 6, 22 *ἠγαπᾶτο ὑπὸ* Galb. 4: aut fallor aut ipse evincit locorum numerus nullam in hoc hiatu offensionem esse. Quamquam qui reputaverit esse eos ex vitis omnibus excerptos fatebitur vel sic pau-

ciores esse quam quis in tanti ambitus opere exspectaverit. Itaque ego quidem tanto magis singulos locos diligenter puto explorandos esse, quod in quinque locis qui restant partim codicum scripturis partim coniecturae probabilitate hiatus removendus est. Nam Num. 14, 12 ᾤετο ὁ Νομᾶς libri optimi corrigunt ᾤετο Νομᾶς. item Cam. 42, 39 ηὔξατο ὁ Κάμιλλος libri duo articulum omittunt. Coriol. 9, 21 περιεπτύξατο αὐτὸν καὶ κατησπάσατο usum Plutarchi postulare censeo περιέπτυξέ τε αὐτὸν. Pomp. 13, 16 ἐπαύσαντο οὕτως, quod in editione conieceram οὕτως ἐπαύσαντο iam confirmant libri duo: denique ibidem 70, 3 vulgatum ἐσκοπεῖτο ἕκαστος ipsa sententia ductus correxi ἕκαστος ἐσκόπει τὸ.

Invitus feci, mi Sauppi, ut ab instituta disputatione digrederer, sed non poteram aliter quoniam haec est huius argumenti ratio, ut non possit de uno aliquo loco dici nisi comparatis et perpensis relicuis similibus. Iam ad Numam revertor: 17, 3 leguntur haec: ἀθυμούντων δὲ τῶν ἀνθρώπων ἱστορεῖται χαλκῆν πέλτην ἐξ οὐρανοῦ καταφερομένην ἐπὶ τὰς Νομᾶ πεσεῖν χεῖρας. Ἐπὶ δὲ αὐτῇ θαυμάσιόν τινα λόγον λέγεσθαι ὑπὸ τοῦ βασιλέως Ἠγερίας τε καὶ τῶν Μουσῶν πυθέσθαι, quae quum Stephanus intelligeret vix graeca esse tacito edidit ὃν Ἠγερίας, quam nunc iam non dixerim interpolationem eius esse quoniam ex libris duobus, quos eum saepius sequutum video nulla diversitas ad illam scripturam annotata est; probo igitur accedente librorum auctoritate istud additamentum ut ad sententiam necessarium, hiatum vero poteris cum Benselero tollere transpositione hac λέγεσθαι λόγον ὑπό, quod emendandi genus infra commendabo pluribus, sed iam nunc licebit duobus Numae locis, de quibus superest ut dicam, confirmare. Nam 19, 21 ἐν ᾧ θύουσί τε τῇ θεῷ καὶ ταῖς καλάνδαις ἐστεφανωμέναι αἱ γυναῖκες μυρσίνῃ λούονται verba sic sunt collocata, ut hiatum dedita opera quaesitum putes magno cum sententiae detrimento. Utrique incommodo medetur codex hac verborum transpositione etiam a Benselero proposita καλάνδαις αἱ γυναῖκες ἐστεφανωμέναι: item v. 39 ὁ γὰρ Ἰανὸς ἐν τοῖς παλαιοῖς πάνυ εἴτε δαίμων εἴτε βασιλεὺς γενόμενος libri duo Parisini πάνυ παλαιοῖς idque tanto magis probandum quod in vitis omnibus nullo loco ῡ reperitur in hiatu nisi Alex. 53, 27 βαρὺ ἐγγενέσθαι μῖσος haud dubie corrigendo vel βαρὺ γενέσθαι vel βαρὺ μῖσος ἐγγενέσθαι. Restat in Numa hic locus 19, 27 εἰςεποίησε ταῖς αὐτοῦ ἐπωνυμίαις, quem praeter codicem Sangermanensem alius liber ad rectam rationem revocat sic: αὐτοῦ προςωνυμίαις: nam 20, 8 Μάρκου Ἀτιλίου ut unam notionem efficiens non magis offendit quam Λευκίου Ἀνικίου Aem. P. 13, 13 Παύλου Αἰμιλίου ibidem 29, 36

Σέξτον Αἴλιον Flam. 2, 10 et similia; denique 20, 25 *δάμνατοι ἔγχεα* verba poetae sunt, non Plutarchi.

Habes, Sauppi, hiatus in vita Numae omnes, paucissimos profecto si rem ad aliorum scriptorum consuetudinem comparaveris. Paucissimos dicebam quum, quod denuo instituto locorum recensu iam intelligo, deberem unum dicere. Nam praeter unum locum, qui est 3, 43 (*ἰδιώτου ὄντος*) facillima illum vel potius nulla mutatione emendandum vides plerosque omnes debere ex codicibus corrigi, ceteros praeter hiatum suo quemque nomine esse suspectos. Quodsi quis casu potius quam consilio scriptoris putet sic factum esse, nae ille singularis fuerit casus necesse est qui induta summa diligentiae specie per tot volumina regnet aequabiliter. Nam etsi alia vita corruptior alia est, in hiatu quidem evitato licet aequabilitatem quamdam agnoscere omnium. Quod ne mihi credas sine argumentis breviter percensebo duas vitas paullo ampliores Timoleontis et Pauli Aemilii ubi pauca addidero de locis in comparatione Numae cum Lycurgo, ne ea pars a me neglecta dicatur. In ea quod legitur 1, 6 *τῶν δὲ ἰδίᾳ ἑκατέρου καλῶν* nego a Plutarcho scriptum esse, apud quem quae nunc leguntur exempla concursus *ᾳ* et *ε* litterarum suspecta sunt omnia. Nam vide mihi illud quod huic simillimum est Pelopid. 14, 14 *πρὸς τοῦτον ὑποπέμπουσιν οἱ περὶ τὸν Πελοπίδαν ἰδίᾳ ἔμπορόν τινα τῶν φίλων χρήματα κομίζοντα*: sermo est de Sphodria Lacedaemonio a Pelopida inducto ad impetum in fines atticos faciendum: *ἰδίᾳ* id fecisse *τοὺς περὶ τὸν Πελοπίδαν* nec Plutarchus dixit in Agesil. 24 nec dixit Xenophon ubi idem narravit hellenicor. 5, 4, 20 omninoque vereor ut recte hoc loco dici potuerit. Nam quum duces hostiles fere non soleant publice corrumpi profecto non opus fuit privatim effectae corruptionis mentione. Itaque aut *κρύφα* id fecisse Pelopidam dicendum erat aut quoniam id per se intelligitur nihil amplius quam hoc, esse id consilium ab eo profectum. Ne multa, istud *ἰδίᾳ* ortum est ex terminatione nominis praecedentis, altero autem loco *ἰδίων* scribendum puto cum Benselero. Statim post vulgo legebatur *τὸν μὲν κύριον ἕτεροι αὐτῶν*, recte vero *ἕτεροι κύριον* libri optimi. Tanto minus dubito damnare vulgatum ordinem v. 20 *οὐ γὰρ θώρακας ἐκδῦναι καὶ ξίφη τοὺς πολίτας καταθέσθαι ἔπειθεν*, quem dixeris talem esse qualis deceat eum qui vocalium concursus studiosissimus sit. Ipsa ratio postulat *ξίφη καταθέσθαι τοὺς πολίτας ἔπειθεν* itaque Plutarchum scripsisse ego credo cum Benselero. Agmen claudit locus vexatissimus 3, 15 *Τίς οὖν ἡ διάκρισις τῶν ἐθισμῶν; ἢ ταῦτα μὲν ἰσχυρὰ καὶ ἄκρατος ἀπάθεια πρὸς γαμετὴν ἐκταράττοντα καὶ κατα-*

καίοντα ζηλοτυπίαις (sic recte correxisse Reiskium nunc puto deletis λύπαις καὶ ante ζηλοτυπίαις) τοὺς πολλούς, ἐκεῖνα δὲ ὥσπερ αἰσχυνομένη ἀτυφία τις παρακάλυμμα τὴν ἐγγύην ἐφελκομένη καὶ τὸ δυσκαρτέρητον ἐξομολογουμένη τῆς κοινωνίας: ταῦτα dicit institutum Lycurgi quo non soluto coniugii foedere, sed remanente apud maritum uxore licuit marito usum eius ad stirpem propagandam permittere cuilibet, quam iure ἀπάθειαν dici concedimus; ἐκεῖνα morem Romanum significat ab Numa institutum, quo Romanus si esset ei copia liberorum exoratus ab alio qui sobolem quaereret permittere ei poterat uxorem, sic quidem, ut eam dimitteret. De quo more Plutarchus sic iudicat, ut ei fere αἰσχυνομένη ἀτυφία τις videatur: quo quid sibi velit non apparet, ut iure de obscuritate loci conquesti sint tantum non omnes. Ὅλη, Coraes ait, αὕτη ἡ περίοδος δεινῶς ὑπὸ τῶν ἀντιγραψάντων διατέθειται. Est sane locus vitiosus proditque sedem vitii hic ut alibi saepe hiatus: nimirum nec τύφου nec ἀτυφίας locus in hac re ullus est. Intellexit hoc A. Emperius ὁ μακαρίτης sanavitque locum praeclara eademque facillima correctione hac: αἰσχυνομένη ζηλοτυπία τις.

Transeo ad vitam Timoleontis idem illud ostensurus non singulos tantum locos, sed integras etiam vitas puras ab hiatu exhiberi posse. Sed quoniam alia restant paulo graviora, quae Tuo, Sauppi, iudicio, cuius subtilitatem et acumen saepe admiror, cupio subiicere, de singulis quam brevissime dicam. Non offendunt, ut ne hos quidem praetermittam, 6. 17 ἐβούλετο ἄν. 36, 17 καθάπερ ἀπειργάσθαι, οὕτως. Sed 12, 30 ὅθεν δὴ ἀνῃρέθησαν commode accidit quod δὴ particulam omittit codex; nam ne concessum in hac particula hiatum credam facit hoc, quod in tam frequente eius usu non plus quam quattuor loci in vitis omnibus exstant in quibus hiatum efficiens sine codicum varietate legitur. 27, 27 ἀναμίξας ἑκατέρῳ ἐκ τῶν ξένων οὐ πολλοὺς item corrigunt libri tres omissa praepositione nec non 30, 5 πρὶν ἢ δῦναι ἥλιον totidem inserto ante ἥλιον articulo. Porro 31, 14 probo nunc scripturam olim vulgatam αἰσθόμενος δ' ὁ Ἱκέτης τὸν Δαμυρίαν διαβεβηκὼς ὑπέστη παρὰ τὸν ποταμὸν prae ea quam Heldius egoque ex nostris codicibus dedimus διαβεβηκὼς ἤδη ὑπέστη, ac 35, 10 ἐκ Κέω ἐκπλεύσαντες non casu aut temere codicem Parisinum C πλεύσαντες habere puto, sed recte ac vere sic scriptum exhibere iudico. Restat locus conclamatus quem praeter hiatum ipsa etiam sententia quae nulla est vitii arguit. Nimirum 30, 34 libri sic habent: ἀπώλοντο καὶ κατηναλώθησαν, οὐχ ὁμοῦ πάντες, ἀλλὰ κατὰ μέρος, τῆς δίκης αὐτοῖς ἀπολογουμένης τῇ Τιμολέοντος εὐτυχίᾳ ἐπιτιθεμένης, ὅπως μηδεμία τοῖς

ἀγαθοῖς ἀπὸ τῆς τῶν κακῶν κολάσεως βλάβη γένηται: sermo est de militibus quibusdam Timoleontis sacrilegis a iustitia divina cum nullo rerum Timoleontis detrimento punitis. De vitio loci editores consentiunt praeter Heldium qui locum explicari posse arbitratus est; Coraes Schaeferusque *ὁμολογουμένως* anonymi correctionem pro *ἀπολογουμένης* assensu suo comprobarunt, alii denique alia commenti sunt, quae singula persequi nec vacat nunc nec libet, quum nemo protulerit quod probabilitatis numeros expleat. Ego mihi sic videor veram scripturam restituere posse: *τῆς δίκης* (vel *Δίκης* si id magis placeat) *αὐτοῖς ἀφοσιουμένης τὴν Τιμολέοντος εὐτυχίαν ἐπιτιθεμένης*, hoc est iustitia divina sic punivit sacrilegos ut revereretur Timoleontis felicitatem, quae sententia et rerum nexui accommodatissima est et, si recte novi scriptorem, qualis maxime deceat Plutarchum. De vocabuli *ἀφοσιοῦσθαι* usu plurimis locis sic ab eo usurpati dixerunt Leopoldus ad Numae p. 299 seq. Wyttenbachius mor. p. 489 Oxon. Valckenarius ad Herodoti 4, 154 Iacobsius in Achillem Tatium p. 542. Ceterum de concursu duorum participiorum actum agerem si quicquam adderem, praesertim ad Te, Sauppi, qui eum usum docte olim illustraveris.

Pergo ad vitam Aemilii, in qua apparet recte se habere haec, 10, 25 *ὅτι ἡμῖν* 26, 41 *πάντη ἀτιμότατον*, utrumque in oratione alius. 12, 11 *φύσει*, *ἢ* quamquam ea scriptura non extra controversiam posita est. 13, 13 *Λευκίου Ἀνικίου* et 29, 36 *Παύλου Αἰμιλίου*. 25, 29 *ἐγίγνετο*, *ἐπὶ* 26, 11 *ἄπειρα*, *οἰκτρότατον*, etsi id sola coniectura nititur, 28, 13 *ἐκεῖνο ἀναφθέγξασθαι* comp. c. Timol. 2, 16 *τοιαῦτα ἤλπισαν*: in his igitur nihil offensionis esse concedimus. Sequantur quibus eamdem veniam non concedo. Ac primum multis coniecturis tentatus est locus 5, 12 sic scriptus in libris: *τῷ γὰρ ὄντι μεγάλαι μὲν ἁμαρτίαι ἀναπεπταμέναι γυναῖκας ἄλλας ἀπήλλαξαν· τὰς δ' ἔκ τινος ἀηδίας καὶ δυσαρμοστίας ἠθῶν μικρὰ καὶ πυκνὰ προσκρούσματα λανθάνοντα τοὺς ἄλλους ἀπεργάζεται τὰς ἀνηκέστους ἐν ταῖς συμβιώσεσιν ἀλλοτριότητας*: me invito in editione mea relictum est *οὐκ ἀπήλλαξαν* ex coniectura Corais, item reiicio nunc *προσκρούσματα*, *ἃ* Reiskii, quod non confirmari libris et olim suspicabar et nunc compertum habeo. Nolo aliorum commenta referre, quod hic dicendum erat hoc est, fatendum esse magna et omnium oculis exposita mulierum vitia causas exstitisse divortiorum, sed parvas atque crebras offensiunculas ex morum discrepantia ortas quamvis lateant aliorum oculos alienationes efficere in matrimoniis implacabiles. Hanc sententiam unam et solam, ni fallor, nexui sententiarum accommodatam ut

verba habeant nihil agendum nisi ut *καὶ* post *ἁμαρτίαι* inseratur, quod vidit etiam Benselerus commendatque usus Plutarchi, de quo dixit Wyttenbachius p. 882 Oxon., postea *τὰς δ'* cum Bryano corrigatur in *τὰ δ'*. Alterius loci, qui est 26, 17 recte intellecti laus debetur Benselero; verba haec sunt: *τὰ δὲ παιδία συλλαβὼν αὐτὸς Ἴωνι ἐνεχείρισεν.* Velim cognoscas eum locum, Sauppi, ut quo es acumine statim intelligas quod me olim non intellexisse nunc aegre fero, quam sint haec perversa et incongrua relicuae narrationi. Certo enim certius est non posse *συλλαβὼν* participium de Perseo intelligi: quid multa? rectissime unus e Parisinis *Ἴων ἐνεχείρισεν*, quo et sententiae consulitur et removetur hiatus. Restant loci duo, ambo neglecti a Benselero, quorum alter est 11, 4 *τὴν μὲν προτέραν ὑπατείαν μετελθεῖν ἔφη αὐτὸς ἀρχῆς δεόμενος, τὴν δὲ δευτέραν ἐκείνων στρατηγοῦ δεομένων*, quem quum *ἔφη* correcto in *εἶπεν* possem ad iustam rationem revocare probabiliter, id quod Caes. 47, 10 Anton. 79 librorum auctoritas fieri iubet, tamen postquam non uno, sed multis exemplis comprobatum vidisti quam saepe librarii in Plutarcheis ordinem verborum temere mutaverint consenties, spero, verosimiliorem emendationem hanc esse *ἔφη μετελθεῖν αὐτός*. Postremus denique locus est 13, 5 *ὡς δὲ πεισθεὶς ἔχειν ἃ ᾔτησεν ὁ Γένθιος ἔργον ἀσεβὲς καὶ δεινὸν ἔδρασε*, de quo quid faciam quum ipse nondum assequi potuerim Tuo eum, Sauppi, acumini commendo. Mihi quidem si verba ipsa considero sana videntur et incorrupta, sed ut non possim non mirari quod ceteris locis omnibus evitatum esse ostendi, id hoc uno loco esse commissum, quum vel *ἅπερ ᾔτησεν* dici (*ᾗ* et *ᾗπερ* permutata Themist. 9 *διὸ* et *διόπερ* ibid. 7), vel ipsa illa *ἃ ᾔτησεν* omitti vel alio quocunque modo hiatus evitari posset. Num forte nihil in eo offensionis esse putabimus quoniam verba arctissime cohaerent? quod si ita est rursus illud miror quod in frequentissimo eius pronominis usu non plura exstant exempla similia, sed si quae sunt pleraque dubia sunt vel ex libris corrigenda. Nec sunt si recte observavi nisi haec, Phoc. 27, 33 *οὐ πράξεις ἃ ἔγνωκας*, sic vulgo, ex libris correxi *ἃ διέγνωκας*, quamquam etiamsi vera esset altera scriptura, quod non puto, nihil tamen faceret ad istum locum defendendum quoniam apophthegma refertur Phocionis. Num. 10, 27 *ἐν ᾗ ἔστι τις* supra ostendi ex libris corrigendum esse *ἐν ᾗ τις ἔστι.* Alex. 3, 14 *ᾧ Ἡγησίας* sola nititur anonymi correctione libris *ὡς Ἡγησίας* exhibentibus quod *ᾧ γ' Ἡγησίας* correxi. Demetr. 36, 33 *ὃ ἐμηχανᾶτο* corruptum esse librorum ostendit discrepantia. Galb. 4 *ἐν ᾧ Ἰούνιος* non potest cum ceteris exemplis comparari quoniam nomina romana ab hac littera incipientia hiatum non

4

faciunt, vid. Caes. 14, 21. 37, 13. 55, 15. Anton. 1. Galb. 26. Restant loci duo. Alcib. 34, 11 *οὐ μὴν ἀλλὰ πάντων γεγονότων τῷ Ἀλκιβιάδῃ κατὰ γνώμην καὶ πληρουμένων ἑκατὸν τριήρων, αἳ αὖθις ἐκπλεῖν ἔμελλον, φιλοτιμία τις οὐκ ἀγεννὴς προςπεσοῦσα κατέσχεν αὐτὸν ἄχρι μυστηρίων*: fateor haec sic dicta esse, ut qui de hiatu nihil compertum habeat vix quidquam vitii suspicari possit, idem tamen non videor mihi iusto morosius exagitare vocalium concursus si id ipsum vitii argumentum gravissimum habeam quod in relicuis vitis omnibus nihil legitur quod simile sit. Num casu id factum esse putabimus in vocabulo cuius usum quaevis fere pagina postulat? porro num casum dicemus quod correctione facillima ac paene nulla verba sic possunt constitui, ut Plutarchus iam non hoc uno loco commisisse possit dici quod ne committeret sedulo cavit ceteris omnibus? nimirum *αἵ* si mutaveris in *αἷς* omnem offensionem sustuleris, quamquam propter sequens *κατέσχον* fateor mihi probabilius esse scriptum antiquitus exstitisse sic: *αἷς εὐθὺς ἐκπλεῖν ἔμελλε*, etsi ne *ἔμελλον* quidem intolerabile. Alter locus est Ciceron. 41, 26 *Ἀντώνιος δὲ τοῦ γάμου μνησθεὶς ἐν ταῖς πρὸς τοὺς Φιλιππικοὺς ἀντιγραφαῖς ἐκβαλεῖν αὐτόν φησι γυναῖκα, παρ' ᾗ ἐγήρασε*, qui conferri posset cum verbis ex vita Numae supra allatis nisi ea ex libris emendanda esse demonstratum esset, sic vero solus relictus frustra circumspicit sui similem. Habebit vero plurimos ad rectam et suam, ni fallor, speciem a nobis revocatus: nam quod in uno libro scriptum est *παρ' ἧς ἐγήρασε* eo sic utor ut corrigam *παρ' ᾗ γεγήρακε*. In quo perfecti usu etsi Tu quidem, Sauppi, qua es praeclara linguae graecae scientia non haerebis, quum possint tamen alii minus in Plutarcheis versati observandum duxi esse id orationis genus admodum frequens apud Plutarchum, ut ubi ab aliis vel dicta vel scripta in suam rem convertit iis utatur verborum formis quibus qui ipsos inducunt loquentes. Satis habeo duo attulisse similia, Pomp. 55, 14 *οἱ δὲ κομψότεροι τὸ τῆς πόλεως ἡγοῦντο παρεωρακέναι τὸν Πομπήϊον ἐν τύχαις οὔσης ὧν ἐκεῖνον ἰατρὸν ᾕρηται καὶ μόνῳ παραδέδωκεν αὐτήν· ὁ δὲ στεφανοῦται καὶ θύει γάμους*, ubi paucis de eo usu admonuit Schaeferus. Eumen. 5, 7 *περὶ τούτων ἐπιστολὰς ἔπεμψεν Ἀλκέταν μὲν καὶ Νεοπτόλεμον Εὐμένει προςέχειν κελεύσας, Εὐμένη δὲ χρῆσθαι τοῖς πράγμασιν ὅπως αὐτὸς ἔγνωκεν.*

Nescio quam vere et apte ad persuadendum haec Tibi disputasse videar, Sauppi: ego quidem quum reputo quam sint rara in coniunctis Timoleontis et Aemilii vitis hiatuum vestigia, ut quaevis Thucydidis, Platonis, Xenophontis pagina plures habeat, quam denique suspecta omnia, alia propter aliam caussam,

nihil habeo quod in hoc genere cum Plutarcheis comparare possim nisi Isocratea. Nolui autem eadem diligentia plures vitas pertractare quoniam putabam cui haec non sufficerent ei nihil satis esse futurum. Iam quoniam iterum iterumque admoneor ut ne pergam fines egredi huic scriptioni constitutos quod superest paucissimis absolvam.

In argumentis quibus supra vocalium concursus vitii arguebam posui etiam illud quod hians multorum locorum scriptura ex libris recens collatis in aliam speciem corrigenda esset. Quod etsi in superioribus multis exemplis comprobasse mihi videor, praestat tamen in re nova demonstranda nimium dici quam parciorem. Itaque accedant hi loci ex paucis quibusdam vitis excerpti. Lycurg. 2, 38 *θακεύοντας ἐν ἀποχωρήσει ἐπὶ* — : *ἐν ἀποχωρήσει θακεύοντας ἐπὶ* A et apophthegmata. Eiusdem 24, 5 *εἰ μή τι πράττειν εἴη ἕτερον* — : *ἕτερον εἴη* AV flagitatque sententia. Comp. Lyc. c. Num. 1, 9 *τὸν μὲν κύριον ἕτεροι αὐτῶν* — : *ἕτεροι κύριον* libri optimi. Solon. 20, 9 *ἄτοπος δὲ καὶ γελοῖος δοκεῖ ὁ τῇ ἐπικλήρῳ διδοὺς* — : *δοκεῖ* post *δὲ* ponunt libri tres. Poplic. 11, 19 *τιμὴ μὲν προβατίου ὀβολοὶ δέκα* — : *τιμὴ προβατίου μὲν ὀβολοὶ δέκα* libri. Camill. 10, 35 *Κάμιλλον σωτῆρα καὶ θεὸν καὶ πατέρα ἀνακαλοῦντες* — : *καὶ πατέρα καὶ θεὸν ἀνακαλοῦντες* pridem a me correctum nunc confirmat liber. 13, 7 *γενέσθαι αὐτῷ τιμωρίαν* — : *γενέσθαι τιμωρίαν αὐτῷ* edidi ex libris. 20, 15 *μετὰ τῶν ἱερῶν ἁρπασάμεναι ἔφυγον* — : quod conieceram *ἔφυγον ἁρπασάμεναι* confirmat liber. 20, 40 *κατὰ γῆς κρύψαι ὑπὸ τὸν νεών* — : ex libris correxi *κρύψαι κατὰ γῆς ὑπὸ τ. ν.* Pericl. 13, 17 *οὕτως ἐπανθεῖ τις καινότης ἀεὶ ἄθικτον* — : magno consensu libri *οὕτως ἐπανθεῖ καινότης ἀεί τις*. Alcib. 16, 24 *τὸν ζωγράφον εἷρξαι, εἶτα* — : ex libris edidi *εἷρξαι τὸν ζωγράφον, εἶτα*. Coriol. 35, 18 *ἀμφοτέρων γενέσθαι εὐεργέτην* — : ex libris correxi *ἀμφοτέρων εὐεργέτην γενέσθαι*.

Perspexisti, credo, mi Sauppi, me non sine caussa unum et certum quoddam genus posuisse locorum ex libris vel emendatorum vel emendandorum. Scilicet feci propterea ut appareret in Plutarchum cadere quod est ab Ricardo Porsono dictum facillimam ac tutissimam rationem emendandi esse eam, quae fieret transpositione verborum. Cui qui praeclara dissertatione respondit Godofredus Hermannus noster non id egit, ut id falso dictum esse demonstraret, sed ut quibus finibus ista regula circumscripta pro vera habenda esset ostenderet. Nam profecto alia aliorum scriptorum in hoc genere ratio est, sua cuique per saeculorum decursum fata. Iure quodam suo sibi gratulantur ii quibus et cetera quibus opus

est ad propaganda ad posteritatis memoriam scripta contigerunt nec defuit librariorum accurata diligentia. Plutarchi quidem codicum scripturas quum considero videor mihi ex certis indiciis intelligere iam in eo codice ex quo tamquam fonte reliqui omnes derivandi sunt librarium haud raro ordinem verborum confudisse, ut fit inter scribendum, ad illud unice intentum, ut quam verbis expressam sententiam mente teneret scripto mandaret. Auxerunt vitia, ut consentaneum est, describentes ex eo codice alii et item alii, quod testatur scripturae discrepantia apertissime, iis maxime in locis quibus non multum interest utrum quid sic an aliter positis verbis dicatur. Quae quum ita sint, quum olim invitus ac non fere nisi ubi alia ratio nulla relicta esset ad hoc emendandi genus accederem, nunc tanto minus dubito in eiusmodi locis quibus solus vitii proditor hiatus est verborum transpositionibus uti, quo saepius aut Benseleri aut meas coniecturas quibus verba transponebamus a libris vidi confirmatas. Ac videor mihi quamvis magna sit Plutarchi in verbis collocandis licentia multo usu sensum quemdam paravisse quo in dubiis locis adiuver non mediocriter. Ceterum pluribus haec Tibi, Sauppi, exposui ne temere factum putares quod passim in superioribus eo emendationis genere usus sum. Quod quidem quum in summa probabilitate natura sua arbitrarium sit nolo plura exempla congerere quum et Tuo tempori parcere debeam nec plus mihi spatii concessum sit quam quod paucis quibusdam observationibus sufficiat.

Meministi me supra inter argumenta quibus vocalium concursus damnabam etiam illud commemorare quod hians multorum locorum scriptura etiam sententiae aliquo vitio corruptelae arguatur, ut quum de hiatu suspicarentur nihil vitium tamen agnoscerent editores aut plerique aut omnes. Cuius argumenti quo gravius fateberis pondus esse, eo minus intelligo committendum esse ut exemplis non probatum reliquisse dicar aut opinione potius quam re ductus esse videar. Itaque vide mihi hos locos non tam certo quodam consilio electos aut studiose conquisitos, sed e plurimis ut quisque se offerebat excerptos. Romul. 4, 22 *ταύτῃ δὲ καὶ θύουσι Ῥωμαῖοι καὶ χοὰς ἐπιφέρει τοῦ Ἀπριλλίου μηνὸς αὐτῇ ὁ τοῦ Ἄρεος ἱερεύς*: iure summo offendisse arbitror Reiskium in *αὐτῇ* pronomine omni ratione destituto damnatoque ipsa illa *καὶ* particulae iteratione. Sed Reiskius quod *πρώτῃ* suspicabatur corrigendum esse pro *αὐτῇ*, non probabilis ea suspicio est, quod potest etiam ex moral. 273[a] intelligi: multo probabilior Benseleri coniectura pronomen delentis. At, dixeris, hoc est pro libidine statuere: non est, mi Sauppi. Nam diligenti instituto locorum omnium quibus *αὐτὸς* pronomen in hiatu positum est

recensu intellexi multis locis a librariis additum esse, monstrante id vel codicum fluctuatione vel ipsa etiam prodente sententia. Nam, ut his utar, quis ferat Lycurg. 15, 15 ἐπιόντι γὰρ αὐτῷ τῶν νεωτέρων τις ἕδρας οὐχ ὑπεῖξεν αὐτῷ εἰπών **— ? utro loco pronomen omitti debeat non licet ambigere propter hiatum omittuntque uti par erat altero loco apophthegmata 227 f, vel toleret Poplic. 16, 43** πρὸς δὲ τούτοις εἰκόνα χαλκῆν ἔστησαν αὐτῷ ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Ἡφαίστου **— ineptissime positum** αὐτῷ, **cuius loco** αὐτοῦ **requiri et sententia docet et locus ostendit Dionysii Halicarnassensis t. 2, 901 R. in eiusdem rei narratione:** εἰκόνα χαλκῆν ἔνοπλον ὁ δῆμος ἔστησεν αὐτοῦ τῆς ἀγορᾶς ἐν τῷ κρατίστῳ. **Itaque quum olim genitivum restituendum censerem nunc sic sentio, ut pronomen cum Benselero delendum esse putem, non magis illud hoc loco necessarium quam Demosth. 20, 24. Porro Philop. 21, 29** ἐτάφη μὲν οὖν, ὡς εἰκὸς, ἐνδόξως καὶ περὶ τὸ μνημεῖον αὐτοῦ οἱ τῶν Μεσσηνίων αἰχμάλωτοι κατελεύσθησαν **— adiectum esse pronomen a librariis male sedulis perspicuitati scilicet consulturis fidem faciunt libri duo** αὐτοῦ **omittentes. Item Pericl. 8, 12** καὶ συνδραμεῖν οὐδὲν ἀπέοικεν ἀπὸ πολλῶν προςόντων τῷ ἀνδρὶ αὐτῷ τὴν δόξαν **— Reiskii iudicium pronomen abiicientis unius libri comprobatur testimonio. Sull. 23, 25 edidi** τέλος δ' ἔπεισεν ἀποσταλῆναι αὐτὸς πρὸς τὸν Μιθριδάτην **ex coniectura Emperii nihil etiam tum de hiatu suspicatus, libri vel** αὐτοὺς **vel** αὐτὸν, **utrumque perverse, nunc intelligo obsequendum fuisse Ursinianis quibus pronomen deest. Alex. 44, 15** ἠπείλησε πάντας ἀποκτενεῖν — — εἰ τὸν ἵππον αὐτῷ μὴ ἀναπέμψειαν. Ἐπεὶ δὲ καὶ τὸν ἵππον αὐτῷ ἄγοντες ἧκον **— iniuriam Tibi facerem, Sauppi, nisi statim Te haec legentem intelligere crederem alterum** αὐτῷ **ex versu praecedente repetitum esse. Poteram plura eiusdem generis addere, sed quoniam praestare intelligo non tam singula quaedam eligere quam omnia coniunctim pertractare peculiari disputationi reservanda duxi. Interim duorum correctio locorum accedat quibus idem pronomen perperam in hiatu est positum. Dion. 30** Δίων δ' ἀπεκρίνατο τοῖς πρέσβεσι μὴ διαλέγεσθαι πρὸς αὐτοὺς Διονύσιον, εἰ μὴ τὴν ἀρχὴν ἀφίησιν, ἀφέντι δὲ συμπράξειν ἃ δεῖ αὐτὸς κἂν ἄλλο τι τῶν μετρίων δύνηται **— miror non offendisse interpretes in sententiae perversitate summa, quam praeclare emendavit Emperius in hanc speciem:** συμπράξειν ἄδειαν αὐτός. **Alter locus est Pelopidae 9, 41** τὸν υἱὸν ἐδέοντο μὴ καταμιγνύναι αὐτοῖς, **quem attuli ne dicerer iusto iniquius pronomen exagitare: tueor enim hoc loco pronomen immeritum Benselero delendum visum, hiatum autem corrigo facili emendatione vocabuli praecedentis. Nimirum**

scripsit Plutarchus *καταμιγνύειν* (cf. mor. 148[a]) quemadmodum eumdem Cleomen. 10, 22 non quod libri habent *ἀποκτιννύναι ἀκρίτως* sed *ἀποκτιννύειν ἀκρίτους* scripsisse quovis pignore contendam.

Sed redeo ad id quod demonstrare volebam, locos propter hiatum suspectos fere etiam sententiae aliquod detrimentum cepisse. In Lycurgo 10, 5 quod libri habent *διαιτᾶσθαι εἰς* confessi sunt omnes intelligi non posse, ego sanavi locum expleta ex Porphyrio lacuna sic ut iam hiatus nullus sit. Ibidem 27, 18 quod legitur *κατασχηματίζεσθαι ἰόντας πρὸς τὸ καλὸν* non credo quemquam concessurum esse Schaefero sic a Plutarcho profectum esse. Recte vitium subesse intellexerunt ceteri, quorum Reiskius corrigendo *πάντας* pro *ἰόντας* aliquantulum consuluit sententiae, sed ut ne sic quidem locum persanatum putem, quem ego Tibi, Sauppi, commendatum volo sicuti Pelopid. 25, 50 ineptissima haec: *ταῦτα μὲν οὖν ἔχει τινὰ καὶ τοῦ βίου ἀποθεώρησιν*, nam in utroque loco emendando fateor me adhuc frustra laborasse. Certior correctio nunc adhiberi potest loco vitae eiusdem 10, 3 *τινὰς ἀκήκοα παρεληλυθέναι ἐν τῇ πόλει κρύπτεσθαι*, quem corruptum esse concesserunt omnes: recte liber unus *παρεληλυθότας ἐν*. Porro Pomp. 67, 15 quum libri habeant aut *Δομίτιος δὲ αὐτὸν ἀεὶ ὁ βάρβαρος* aut *ἀεὶ ὁ βάρβος* non tam cum editione aldina corrigendum *Δομίτιος δὲ αὐτὸν ἀεὶ ὁ Ἀηνόβαρβος*, quod ceteri amplexi sunt, sed sine hiatu et propius ad litterarum ductus mecum *αὐτὸν Ἀηνόβαρβος*, nec mirabitur nominis satis noti corruptelam qui quoties in nominibus Romanis a librariis peccatum sit cognitum habeat, cuius rei illustre exemplum praebet vitae eiusdem 52, 15 ubi quum in libris scriptum sit *Ἀντίαν δὲ καὶ Βατίνιον ἀνηγόρευσαν*, quod nemo intellexit, ego certa emendatione ostendi scribendum esse *ἀντὶ δὲ Κάτωνος Βατίνιον*. Quamquam idem passim accidit in nominibus graecis, nam, ut hoc utar, Cim. 16, 41 libri *οἱ γὰρ ἰδιῶται ἐκ τῶν ἀγρῶν συνέδραμον* —, ubi quum Helotas intelligendos esse animadvertisset Xylander Reiskius non debebar *Εἱλῶται* reponere formam non Plutarcheam, ut de hiatu nihil dicam, sed *Εἵλωτες*. Item certam dico correctionem Caton. min. 27, 23 *διέστησαν αὐτοῖς ἐκεῖνοι οἱ τὰς ἀναβάσεις κατέχοντες, ἄλλον δὲ οὐδένα παρῆκαν*, ubi iure in *ἐκεῖνοι* offendebat Coraes, sed ut non deberet deletum velle: ego igitur certam dico correctionem hanc *αὐτοῖς ἐκείνοις οἱ*, id est, solis illis. Denique 53, 17 *οὐ βούλεσθαι τὴν νῆσον ἐν πολέμῳ ἀπολέσθαι*, quod num graecum esset iure dubitarunt Reiskius et Coraes, certa emendatione corrigendum *ἐμπολεμῶν ἀπολέσθαι*. Agmen claudat locus vitae M. Crassi 13, 17

sic scriptus in libris: *ἐν δὲ τῷ περὶ ὑπατείας ὁ Κικέρων νύκτωρ φησὶ τὸν Κράσσον ἀφικέσθαι πρὸς αὐτὸν ἐπιστολὴν κομίζοντα περὶ τοῦ Κατιλίνα καὶ ζητουμένην ὡς ἤδη βεβαιοῦντα τὴν συνωμοσίαν*: de hoc igitur ut dicam mea non minus quam tua caussa, Sauppi, adducor. Nimirum quum de corruptela verborum dubitari non posset alii alio modo emendationem periclitati sunt, *ἐκζητουμένην* vel deleta *καὶ* particula *ζητουμένην* commendante Schaefero, *αἰτιωμένην* I. C. Orellio, *ἀμφισβητουμένην* Carolo Beiero magistro quondam meo et populari. Certiorem emendationem ego mihi videbar invenisse corrigendo *ἐπιστολὴν κομίζοντα τ ὰ περὶ τοῦ Κατιλίνα ἐξηγουμένην* collatis quae de eadem re perscripta sunt in vita Ciceronis c. 15 idque et in editione mea significavi et pluribus commendaveram in Musei Rhenani vol. 1 fasciculo primo, mox perlata ad me eximia illa epistola abs Te ad Godofredum Hermannum data sic vidi comprobari assensu Tuo qui meam rationem ignorares, ut Plutarchum diceres scripsisse *περὶ τοῦ Κατιλίνα διηγουμένην* p. 110. Nec dubito quin id simus assequuti quod hic dici debuerit, sed si quaeris utra ratio mihi nunc videatur praestare, teneo meam, cum quod *διηγεῖσθαι* de epistola minus commode videtur dici quam *ἐξηγεῖσθαι*, tum quod in frequentissima confusione *καὶ* particulae cum *ἐκ* vel *ἐξ* praepositione *ἐξηγουμένην* paullo minus videtur ab *καὶ ζητουμένην* librorum recedere quam tuum illud *διηγουμένην*. Sed ne meo ipsius praecepto illusisse dicar retracto illud prius inventum sic, ut Plutarchum scripsisse dicam hoc modo: *ἐπιστολὴν κομίζοντα τ ὰ περὶ τ ὸ ν Κατιλίν α ν ἐξηγουμένην*, quo et hiatum evito intolerabilem et illud restituo quod constans commendat scriptoris consuetudo quam monstrant non modo quae ibidem praecedunt haec: *ἐν δὲ τοῖς περὶ Κατιλίναν πράγμασι*, sed etiam ceteri loci quibus Catilinariae meminit coniurationis, Caes. 7 *ἐν τοῖς περὶ Κατιλίναν*, Caton. min. 22 *ταῖς περὶ Κατιλίναν πράξεσι*, Cic. 29 *τῶν περὶ Κατιλίναν πραττομένων*, eiusdem 30 *ὕποπτον ἐκ τῶν περὶ Κατιλίναν*, Brut. 5 *τῶν περὶ Κατιλίναν πραγμάτων*.

Hic ego quum finem facere scriptioni iubear non possum tamen intactum relinquere unum ad Te scribens, Sauppi. Tu enim quum in epistola Tua critica verissime de codicum manu scriptorum usu in emendandis veterum scriptorum verbis praeceperis aut fallor aut miratus es quod in his quae de hiatu disputavi passim me vidisti eclecticam quamdam rationem codicibus utendi sequutum esse, quum ipse olim in iis quae de G. Fr. Schoemanni editione Agidis et Cleomenis scripsi ea de eo argumento disseruerim quae plane cum Tua sententia convenirent.

Nimirum Plutarchi multo iniquior sors fuit quam Demosthenis Tui aut Isocratis quorum eximii supersunt libri manu scripti in singulis illi propemodum fideliter sequendi, ut abs Te luculenter demonstratum est: Plutarchi exstat quidem codex Sangermanensis omnium antiquissimus idemque optimus, sed ut nec vitas habeat omnes nec vitiis immunis sit partim iisdem quibus corrupti sunt ceteri. Eum ego librum in iis quas habet vitis et olim dixi et nunc puto praeter ceteros sequendum totique recensioni quam dicunt pro fundamento subiiciendum esse, sed ut in singulis quibusdam deteriorum auxilio carere non possimus. Sed quum is liber quindecim tantum vitas contineat et ne has quidem integras omnes, certiore eius fide destituti in plerisque vitis ad libros multo minus bonos descendere cogimur. Quorum licet quidem certa distingui genera, sed non tam constanter aut bonos se aut pravos praestant, ut eorum aliquem tuto sequi liceat, hoc est, ut qui modo bonum se praestitit non mox ad deteriores descendat atque adeo superetur saepenumero librorum aperte deteriorum scripturis. Hinc dici non potest quantum augeatur emendandi Plutarchum difficultas: mihi quidem quum ea legerem quae Car. Fr. Hermannus de codicibus Persianis, ut solet, doctissime exposuit, verissime videbatur conditionem descripsisse etiam Plutarcheorum. De his ego alio tempore explicatius agam, nunc attigi propterea ne Tu, Sauppi, suspicarere me in hac quaestione temere quodcunque opinioni scilicet illi meae accommodatum esset arripuisse, quum tamen quantum in me esset argumenta examinassem et ponderavissem omnia. Nec possum non iis qui de hac parte operae meae iudicare voluerint commendare, ut probe teneant non eamdem omnium librorum in omnibus vitis rationem esse, cuius rei haud scio an illustrius exstet exemplum quam codex Parisinus regius 1676 una cum aliis quibusdam praesidiis criticis magna iam parte operis absoluta ad me perlatus. Is enim liber ut testantur scripturae ad vitas Phocionis et Catonis minoris a me annotatae vel collatio Pericleae ab Carolo Keilio nostro publici iuris facta quum in nonnullis vitis nihil habeat boni proprii in aliis tam se praestat egregium, ut plurima ex eo solo praeclare possint emendari. Quid quod eiusdem libri scripturis multae ex meis emendationibus egregie confirmantur: ita ut in unius vitae exemplis consistam, Themist. 9, 4 *εἴσω τῆς Ἑλλάδος ἀνεκομίζοντο τῶν Ἀθηναίων ἐπὶ πᾶσι τεταγμένων καὶ δι᾽ ἀρετὴν μέγα τοῖς πεπραγμένοις φρονούντων* — diu est ex quo dixi videri vitii quid contraxisse. Perversum enim esse Athenienses dici agmen habuisse novissimum et propter virtutem ex rebus fortiter gestis maiores duxisse spiritus: rectam rationem collocatio-

nem verborum requirere hanc: *τῶν Ἀθηναίων ἐπὶ πᾶσι τεταγμένων δι' ἀρετὴν καὶ μέγα τοῖς πεπραγμένοις φρονούντων*: eam nunc video eius libri consensu comprobatam. Item 10, 35 *ἐκπλεούσης δὲ τῆς πόλεως τοῖς μὲν οἶκτον τὸ θέαμα, τοῖς δὲ θαῦμα τῆς τόλμης παρεῖχε, γονέας μὲν ἄλλῃ προπεμπόντων, αὐτῶν δ' ἀκάμπτων πρὸς οἰμωγὰς καὶ δάκρυα γονέων καὶ περιβολὰς διαπερώντων εἰς τὴν νῆσον* — sic scripta ferri non posse editores intellexerant omnes aut plerique, sed ut nemo id esset assequutus quod Plutarchum scripsisse probabile esset. Quem *γενεὰς* scripsisse pro *γονέας* cum ex sententiarum nexu tum ex usu eius demonstravi confirmatque coniecturam eiusdem illius libri eximia bonitas, ut idem mihi hoc loco contigerit quod allato nunc ipsum ad me Zonarae Mauricii Pinderi volumine secundo in eadem voce mihi contigisse video Camill. 15, 12 *ὥστε ἀράμενοι τὰ ὅπλα καὶ γονέας ἀναλαβόντες ἐπὶ τὰς Ἄλπεις φέρεσθαι καὶ ζητεῖν ἐκείνην τὴν γῆν ἣ τοιοῦτον καρπὸν ἀναδίδωσι*, id enim quum *τοὺς γονέας* Reiskium sequuti correxissent ceteri, ego verius mihi videbar corrigere scribendo *γενεὰς*, quod vide quam luculenter confirmet qui hunc locum in suam rem convertit Ioannes Zonaras annal. 7, 23 p. 81 *ἀράμενοι τὰ ὅπλα καὶ γενεὰς ἐπαγόμενοι τὴν γῆν ἐκείνην ἐζήτουν ἣ τοιοῦτον καρπὸν ἀναδίδωσι*. Porro Themistocl. 10, 11 *τῷ δὲ χρησμῷ πάλιν ἐδημαγώγει λέγων μηδὲν ἄλλο δηλοῦσθαι ξύλινον τεῖχος ἢ τὰς ναῦς· διὸ καὶ τὴν Σαλαμῖνα θείαν, οὐχὶ δειλὴν οὐδὲ σχετλίαν καλεῖν τὸν θεὸν ὡς εὐτυχήματος μεγάλου τοῖς Ἕλλησιν ἐπώνυμον ἐσομένην*, quibus verbis scis, Sauppi, oraculum respici Herodoteum

ὦ θείη Σαλαμίς, ἀπολεῖς δὲ σὺ τέκνα γυναικῶν,

mirabar sic coniuncta vocabula quae sunt *δειλὸς* et *σχέτλιος*, quod quo iure fecerim ostendit codex quem dixi praeclare sic scriptum exhibens: *δεινὴν καὶ σχετλίαν*. Idem confirmat quod 26, 20 correxi *πέμπεται δ' οὖν ὑπὸ τοῦ Νικογένους* habetque 31, 32 quod desiderabam *ἄλλους τε μεγάλους τῆς Ἑλλάδος ἐχούσης στρατηγούς*.

Sed nescio qui factum sit ut quum in reliqua disputatione sedulo caverim ne ab instituta quaestione deflecterem nunc in ipso eius exitu ab ea me abripi passus sim intemperantius. Sed concedes, Sauppi, gratum fere nobis accidere et iucundum ubi quae meditando sumus assequuti luculentis videamus et certis monumentorum testimoniis confirmata augerique animum ad quicquid est mendarum confidentius aggrediendum. Ceterum si forte Tu, Sauppi, et Tecum alii ex iis quae F. Th. Welckerus, quem honoris caussa nomino, in Musei Rhenani vol. 3

fasc. 3 p. 469 de codice quodam Plutarchi Florentino saeculi noni scripsit spem quamdam concepistis, inanis ista spes est. Primus quantum scio eius codicis mentionem fecit B. Montefalconius in diar. Ital. p. 366 his verbis: 'codex elegantissimus in fine noni aut initio decimi saeculi membranaceus. Plutarchi vitae incipiunt a Phocione, desinunt in Iulium Caesarem.' Adverterunt et erexerunt haec animum meum supra quam dicere possum: namque optima quaeque ab tantae tamque venerandae antiquitatis monumento sperabam. Postea vidi eam spem frustra conceptam esse, siquidem is codex multo aliis libris deterior a me cognitus est, de quo ipse Tibi persuadebis ubi quae ad vitam Phocionis a me annotata sunt perlustrare volueris: ad eam enim usus sum comparatione eius codicis a Carolo de Furia in usum I. G. Fluegelii confecta ab eoque cum Friderico Kranero communicata. Paucis de eo dixi in Zimmermanni museo antiq. studior. a. 1839 p. 532, explicatius Kranerus praef. Phoc. p. XXII. Nec codices Vaticani quinque, ut hoc addam, quorum habeo specimina quicquam praebent quo cum aliquo fructu utaris, exemplar autem istud Mureti, de quo ibidem scripsit Welckerus, illud ipsum est cuius lectiones a se descriptas liberaliter mihi concessit Chr. Walzius, nunc si recte accepi una cum aliis qui olim Mureti fuerunt libris incendio absumptum est.

Sensisti, credo, Sauppi, esse haec omnia festinantius perscripta, ut solent qui subito se ad scribendum dant. Hinc factum ut quum possem vel alias observationes addere fortasse non inutiles aut iniucundas vel singulas emendationes suis quamque praesidiis instructas et quasi munitas exornare ambitiosius, abiecto omni doctrinae apparatu ne verborum quidem lenociniis ullis usus sim ad rem meam commendandam. De qua olim plenius et sic ut caussae eius et origo appareant explicanda quam vere Tibi nunc disputasse videar nescio: hoc scio quicquid scripsi non alio nisi veri investigandi studio me scripsisse Tibi persuasum esse, animo vero in Te amantissimo. Ita vale, vir praestantissime, amicisque Turicensibus societate graeca olim nobiscum coniunctissimis S. Voegelino, A. G. Winckelmanno fac dicas quanto tenear desiderio antiquae familiaritatis instaurandae.

Dabam m. Februario exeunte a. MDCCCXLV Servesta Anhaltinorum.